MASTER NEGATIVE
NO. 93-81528-3

AUTHOR:

HANNEMUELLER, BERNHARD

TITLE:

QUAESTIONEM EURIPIDEARUM...

PLACE:

GOTTINGEN

DATE:

1864

Master Negative #
93-81528-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Hannemüller, Bernhard
Quaestionum Euripidearum specimen I. Dissertatio inauguralis quam ... scripsit Bernhardus Hannemueller ... Gottingae, Huth, 1864.
54 p. 22 cm.

Thesis, Gottingen.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm
REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/4/93
INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202





Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.


SIGILLUM · COLLEGII · COLUMBIAE · NOVI · EBORACI
IN LUMINE TUO VIDEBIMUS LUMEN


SIGILLUM · COLLEGII · COLUMBIÆ · NOVI · EBORACI

1. Hannemüller, Bernhard Quaestionum Euripidearum specimen 1 1864

2. Wesener, Prosper De repetitione versuum in fabulis Euripideis 1866

3. Klinkenberg, Joseph De Euripideorum Prologorum arte et interpolatione 1880

4. Eichler, Oswald De responsione Euripidea 1886

5. Burkhardt, Hans Die archaismen des Euripides 1906

6. Elsperger, Wilhelm Reste und spuren antiker kritik gegen Euripides gesammelt aus den Euripidesscholien 1906

7. Mader, Ludwig Über die hauptsächlichsten mittel, mit denen Euripides ἔλεος zu erregen sucht; ein beitrag zur technik Euripides 1907

QUAESTIONUM EURIPIDEARUM

SPECIMEN I.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

BERNHARDUS HANNEMUELLER,

BLANCOBURGENSIS.

SEMIN. REG. PHIL. GOTTING. SODALIS.

GOTTINGAE

EX OFFICINA ACADEMICA E. A. HUTH

MDCCCLXIV.

Suscipienti mihi de Euripidis scribere tragoediis illud saltem „γλαῦκ᾽ Ἀθήναζε“ haud facile quisquam objiciet. Nam etiam post magna Valckenarii merita, qui, quum editionibus suis Phoenissarum et Hippolyti aliam eandemque meliorem viam illis studiis patefecerit, merito principem locum obtinet, nec non postquam deinde Porsonus, Elmsleius, Hermannus, Matthiae, Dindorfius, Hartungus, Kirchhoffius, Nauckius, alii*) Euripidis fabulas tractaverunt multisque doctrina ingeniique acumine mendis eas liberaverunt, permultum faciendum relictum esse quis est qui neget? Etenim si feliciter accidit, ut numerus tragoediarum Euripidis satis magnus servaretur, hoc tamen valde dolendum est, quod illae fabulae gravissimis

---

*) Quum antea Euripides bono criticorum auxilio paene prorsus esset destitutus, ipso nostro tempore confitendum est permultos illius tragoediis operam dedisse homines doctos, quos omnes afferre ab hoc loco alienum est. Praeter eos qui omnibus noti sunt ipsaque nostra dissertatione nominabuntur, commemorentur: T. A. Paley, Euripides with english commentary, 3 voll. 8m. Lond. 1857. 59. Lud. v. Jan, adnott. ad Eurip. Andromach., Schweinfurt. 1860, ad Iph. Taur. ibid. 1860, ad Hippol. ibid. 1861. Ch. Badham, *Εὐριπίδου Ἰφιγένεια ἡ ἐν Ταύροις. Ἑλένη*, 8m. Lond. 1851. Ejusdem Euripidis Ion, Lond. 1853. Ejusd. Conjecturae in Euripidis Ionem, Philol. VII. p. 161 sqq. p. 277 sq. Ejusd. the student's first greek play. Euripidis Ion, Lond. et Edinb. 1861. J. H. Monk, Euripidis Hippolytus coronifer, Alcestis, Iph. in Aulide, in Tauride, editio nova, 8. Cantabrig. 1857. Cobet, Var. Lect., Lugd. Bat. 1854. ejusd. Nov. Lect. ibid. 1858. (vid. C. Schenkl, O. Z. 1859, p. 843 sqq. A. Nauck, Philol. XI, p. 460 sqq.) H. v. Herwerden, Mnemos. IV, 358—82. A. Meineke, Philol. XIX. p. 145, 46. G. Helbig, Euripidea tria (Neue Jahrbb. f. Phil. u. Paed. 1861. p. 615.). Hoffmann, schedae criticae ad tragicos graecos (ibid. 1862. p. 589—601), et m. a.

contaminatae vitiis ad nostra tempora pervenerunt. Quantas autem praecipue „versus subditicii“ usque ad hoc temporis momentum difficultates praebuerint hominibus doctis, satis superque notum est: nam sicut omnia alia Graecorum opera additamentis depravata sunt, ita saepissime factum est, ut in fabulas poetarum tragicorum, praesertim Euripidis, „versus spurii“ irreperent, id quod variis tribuendum est causis. Primum ipsos histriones constat multa addidisse, deinde etiam grammaticos atque lectores haud pauca marginibus codicum adscripsisse, quae postea verbis poetae ipsis subdita sunt. Quae si consideraverimus non mirabimur, quod multi loci tam gravibus corrupti sunt vitiis, omne ut emendandi studium abjiciendum sit, quod permulti etiam ne corrupti quidem unquam detegentur.

Jam vero ante omnia dicendum est, Augusti Nauckii librum nuper editum, qui inscriptus est „Euripideische Studien“ (Vol. I. Petropoli 1859. Vol. II. ibid. 1862.), me ad scribendum hunc libellum commovisse. Quo egregio opere quamvis maxime de Euripidis tragoediis meritus sit vir doctissimus, quum ostenderit, permulta vitia etiamnunc arte critica diligenter sanaque mente tractata certissime removeri multisque locis manum poetae feliciter restitui posse, non tamen mirabimur, quod non ubique rectum invenit, quin etiam, quod saepius ei accidit, ut plus viderit, quam loci natura necessarium est. Neque defuerunt, qui id ipsum et intelligerent et monerent, quorum hic affero Mauritium Seyffertum, qui in mus. rhen. n. s. vol. XVII. p. 29 sqq. pluribus locis Nauckii sententias impugnat (vid. C. Schenkl, Philol. XX. p. 469.), et Henricum Hirzelium, qui in dissertatione sua diligentissime scripta „de Euripidis in componendis diverbiis arte“ (Bonnae 1862) maxime e certa numerorum ratione argumenta petens, Nauckium haud raro erravisse ostendit; quibus adnumerandus est C. Schenkl, qui (Neue Jahrbb. für Phil. u. Paed. B. LXXXV. p. 824—851) prioris partis Nauckiani operis censuram scripsit. Cf. etiam ejusdem recens. in Philol. Vol. XX. p. 302 sqq. Equidem hoc loco gratissimo animo confiteor, Nauckii mihi librum, non semel, sed saepius diligenter pertractatum maximam praebuisse utilitatem, quare nunc liceat, partem eorum, quae per quosdam menses de sententiis V. D. cogitavi, in medium proferre. Quam rem ita instituam, ut primum de iis locis disseram, in quibus Nauckius usum linguae mihi videtur neglexisse*), deinde de iis, ubi sine idonea causa librorum auctoritatem suis ipsius opinionibus posthabuit, denique de locis, in quibus merito haesit V. D., neque tamen rectum mihi visus est invenisse.

Jam aggressurus ad ipsam disputationem nihil addo nisi hoc, me benevolum mihi fore lectorem sperare.

*) Hos locos, quantum vidi, omnes collegi.

I.

Pluribus locis Nauckius rectissime monet, cavendum esse hominibus doctis, ne in emendandis veterum scriptis verbis vel formis verborum atque dicendi utantur, quae ab usu linguae abhorreant; neque negandum, tragoediarum linguae usum accuratissime eum observavisse, vid. C. Schenkl, Philol. XX, p. 310. Neue Jahrbb. f. Phil. u. Paed. LXXXV. p. 825. Maxime vero, addam, scriptoris qui tractetur, usum diligentissime esse observandum, quum habeat quisque, quibus ab aliis non solum alius, sed etiam ejusdem temporis scriptoribus differat. Perlustremus omnia exempla a Nauckio allata.

Ad Med. v. 259 *) nobis dicit, tragicos graecos semper formas *τοιοῦτον, τοσοῦτον*, nunquam autem *τοιοῦτο, τοσοῦτο* usurpavisse. In ejusd. observatt. crit. de trag. graec. fragm. p. 26 legimus, tragicos non dixisse *λοῖσθος*, sed *λοίσθιος*, quae observatio immerito a Kaysero (Neue Jahrbb. für Phil. u. Paed. LXXIII, 4. p. 232) improbatur, cui Nauckius objicit: „Vielleicht weiss Kayser zu sagen, weshalb in der älteren Sprache niemals *ἀγαθῶς* vorkommt, niemals *ἀγαθώτερος* und *ἀγαθώτατος*, niemals *ἥρησα, ἡρήθην* und dergl. m. Allerdings ist es höchst bequem, die starren Facta des Sprachgebrauchs zu verachten und an die Stelle der todten Empirie innere Gründe zu setzen, d. h. der Willkür Thür und Thor zu öffnen.“ Neque minus recte V. D. Kayseri (Neue Jahrbb. für Phil. u. Paed. LXXV, 2, p. 128) conjecturam ad Euripidis Hippol. v. 1418 *κατεσκήφασιν* improbat, quum lectio li-

*) In Euripidis versibus numerandis Nauckii editionem Teubn. secutus sum.

brorum *κατασκήψουσιν* utique retinenda sit (v. Med. 94, Aesch. Suppl. 326, Dind.). Alc. v. 178 Nauckius tribus de causis ejiciendum esse censet, quarum maxima est, quod verbum *κόρευμα* neque sensui conveniat neque iterum reperiatur. Recte mea opinione (v. Hirzel. l. l. p. 26), quamquam sic locum esse sanatum credere non possum, quia verbum *τὰ παρθένεια* apud *veteres* scriptores nunquam idem significat, quod *ἡ παρθενεία*. Fortasse quis scripserit: *ἔνθα παρθένευμ᾽ ἔλυσ᾽ ἐγώ*. Apud Theocrit. id. XXVII, 26:

οὐκ ὀδύναν, οὐκ ἄλγος ἔχει γάμος, ἀλλὰ χορείαν

non scripserim cum Nauckio *κορεία*, nam primum dubito, num bene dici possit, cum virginitate maestitiam atque dolorem conjuncta esse, deinde vero tota verborum collocatione exspectamus, ut in fine versus vocabulum positum sit illis *ὀδύνη* et *ἄλγος* contrarium. Quod quum ita sit, nisi quis forte aptius verbum invenerit, putaverim, *χορείαν* exquisitius esse a poeta dictum non de ipsis saltationibus, sed de voluptatibus omnino. Ceterum v. ad h. l. Herm. in Gregorio de dial. p. 863 et Schaef. ibid. p. 985, adnot.

Phoen. 1292 merito Nauckius C. F. Hermanni conjecturam *δι᾽ ἡμάτων* improbat, ipse autem verbum nusquam usurpatum *αἶχμα* Euripidi tribuit, de quo mox plura. Ad Alc. v. 473 recte V. D. verbum *συνδυάς* rejicit, ad v. 482 verbum *προςζεύγνυμι*, v. etiam ad v. 526. Ad ejusd. fab. v. 1063 rectissime dicit, formam *προσήϊξαι*, quae invenitur in gl. Hesych. (*προσήϊκται· προσέοικα*), nullo modo Euripidi tribuendam esse; num vero quod ipse proposuit:

μορφῆς μέτρ᾽ ἴσθι καὶ δέμας προσέμφερες

rectum sit, potest dubitari. Digna sunt quae legantur, quae Nauckius (Stud. II, p. 71) disserit de formis verbi *οἶδα*, etiamsi dubito, num forma *ᾔσθας*, quae ab uno tantum grammatico apud Eustath. affertur, ab Euripide sit usurpata. Ceterum velim monere, immerito Nauckium contra Buttmannum dicere (Ausf. Gr. I. p. 549 adn., 570 adn.), qui formam *ᾔσθας* agnoscit, mendum eam quodammodo linguae esse ratus, id quod ipsum Nauckium de talibus formis existimare apparet, l. l. p. 73 dicentem: „Allerdings kann ich nicht umhin, *οἶσθας*

als eine sehr auffallende Bildung, und wenn man so will, als einen Sprachfehler anzuerkennen, aber jede Sprache macht gewisse Fehler etc." Vid. deinde ad Alc. 836, ibid. 920, Stud. I, p. 30, p. 34, ad Or. v. 391, ibid. 700, Andr. 27, Rhes. 515, ubi formae quaedam verborum a tragoedia alienae rejiciuntur. Or. 771:

οὐ προσήκομεν κολάζειν τοῖσδε, Φωκέων δὲ γῇ

ubi recte V. D. dicit, verbum *προσήκειν* hoc modo in tragoedia non esse usurpatum, excepto uno loco apud Aesch., Agam. v. 1079, qui corruptus sit. Quare proposuit: *οὐ προσῆκον ἐμὲ κολάζειν κ. τ. λ.* *). Paullo post v. 816 sqq. legitur:

ὅθεν φόνῳ φόνος ἐξαμεί-
βων δι' αἵματος οὐ προλεί-
πει δισσοῖσιν Ἀτρείδαις

ubi Nauckius pro *δι' αἵματος* scripsit *διαίματος*, quamquam tale verbum graeca lingua ne invenitur quidem. Ipse quidem confitetur, se ne fallatur vereri, quare statim hic de hoc exemplo dixi. Klotzius verba *δι' αἵματος* ad consanguinitatem generis refert, per quam caedes caede mutetur. Vidisse hoc etiam glossatorem dicit, quod *συγγενείας* adscripserit ad *δι' αἵματος*. Quocum priusquam melior emendatio reperta erit, consentire velim. De hac verbi *αἷμα* significatione cf. Schraderum ad Musaeum p. 136. Soph. Oed. Colon. v. 245, Ai. 1305, El. 1125, Oed. R. 1406.

Ad. Or. v. 1684 Nauckius rejicit futurum tempus verbi *πελάζειν* (*πελάσω*), ab Atticis non usurpatum. Ad. Phoen. 637 Nauckii emendationes mihi displicent, nam offendit me optativus *ἐξίοι* non minus quam tertia persona et pronomen *οἱ*, in quo V. D. hiatum admisit, qui etiam invenitur Soph. Tr. 650. Conferas etiam Soph. Oed. tyr. 1264:

οὗ δὴ κρεμαστὴν τὴν γυναῖκ' ἐσείδομεν
πλεκταῖς ἑώραις ἐμπεπληγμένην· ὁ δὲ κ. τ. λ.

---

*) Contra Nauckium disputat C. Schenkl, l. l. p. 834, qui relegat ad Krueger. gr. §. 55, 3. Plat. republ. VI, 496a *ἆρ' οὐχ ὡς ἀληθῶς προσήκοντα ἀκοῦσαι σοφίσματα*, legg. VII, 811d *καὶ προσήκοντες (κατεφάνησαν) τὰ μάλιστα ἀκούειν νέοις.* Ad sensum loci Aeschylei explicandum vid. Agam. v. 1075, 145, 1248, Dind.

ubi Bergkius, Hartungus, alii librorum scripturam (v. l. *αἰώραις*) retinuerunt, Nauckius autem rectissime contendit, vocabulum *ἑώρα* vel *ἑωροῦμαι* neque sensui neque usui antiquioris temporis convenire; *ἑώρα* significat „suspensum", neque merito Ellendtius huic verbo significationem laquei tribuit, v. lex. Soph. v. *ἑώρα*. Nauckius igitur (Stud. II, p. 158) locum Sophoclis sic mea opinione recte emendavit:

πλεκταῖσιν ἀρτάναισιν αἰωρουμένην.

De hac voce *ἀρτάνη*, quae apud Soph. reperitur tantum Oed. R. 1266, Ant. 54, apud Aesch. Agam. 875, 1091, Suppl. 160 (Dind.), apud Euripidem nusquam legitur, v. infra ad Hippol. v. 802.

Stud. II, p. 157 Nauckius emendationem Hartungi ad Herc. f. v. 77: *λόγοισι παραμυθοῦσα* merito improbat, quum *παραμυθεῖσθαι*, neque vero *παραμυθεῖν* dicatur. Eadem pagina vid. etiam Nauckii adnotationem ad Eurip. frag. 162 (N.), ubi contra Seyffertum (mus. rhen. n. s. XV, p. 619) formam dicendi *τήρησιν φυλάσσειν* non sine causa rejicit. Fortasse etiam hic memoranda sunt, quae Nauckius ad Phoen. v. 1246 de formis *ἔσταν, ἔκρυφθεν* dicit.

In Alc. v. 320:

δεῖ γὰρ θανεῖν με, καὶ τόδ' οὐκ εἰς αὔριον

de quaestione agitur satis digna memoratu. Nauckius enim scribi vult *ἐς αὔριον*, regulam constituens, trimetri tragici in initio quinti pedis semper formam *ἐς* restituendam esse, ad quam regulam demonstrandam, quippe quae usu tantum scriptorum possit confirmari, multa afferuntur exempla. Omnes vero locos huic regulae repugnantes corrigendos esse dicit V. D., praesertim quum praepositionem *εἰς* vel *ἐς* in initio quinti pedis rarissime consonans sequatur. Sic. Eurip. Bacch. 465. Jon. 1540. Soph. Electr. 574. Oed. Col. 976. Eur. Electr. 49. 1283. Or. 616. Alc. 543. Iph. Aul. 522. 1411. Phoen. 365. Adductus est V. D. ad hanc sententiam verbis Elmslei ad Eurip. Heraclid. 271: „Suspicor, tragicos in quinta senarii sede jambum spondeo praetulisse, saltem ubi diversam ejusdem vocis scripturam adhibendo brevem syllabam pro longa

adhibere possent", cujus autem regulae rationem nullam esse contendit Ellendtius (lex. Soph. v. εἰς); cf. etiam Porson. ad Eurip. Hecub. praef. pag. LX (ed. altera germ.). Dindorfius ante consonantes semper ἐς, ante vocales, metro non repugnante, semper εἰς scribi vult (Dind. ad Arist. Ach. v. 242), quem Meinekius secutus est. Vid. etiam Brunck. ad Aesch. Prom. 478, Elmsl. ad Eurip. Med. 88. Attamen, ut ad nostrum locum redeamus, quaeri potest, num Nauckius recte judicaverit, nam his ipsis diebus de hac re accurate egit amicus meus Hermannus Menge in dissertatione sua magna cum diligentia elaborata, quae inscripta est „de praepositionum usu apud Aeschylum." Is p. 56 sqq. contendit, se omnia, quae VV. DD. de formis ἐς et εἰς tulerint judicia usurpandis, falsa esse suspicari. Recte l. l. dicit, mirum in modum libros et editores fluctuare de forma praepositionis εἰς apud tragicos graecos adhibenda Constare quidem, utramque formam, et ἐς et εἰς apud eos usitatam fuisse, necdum tamen certas regulas esse repertas, quibus constituere possimus, ubi ἐς, ubi εἰς recte habeat. Deinde allatis multis comparatisque exemplis ipse has constituit regulas: I. Aeschylus, Sophocles, Euripides in universum rebus parvis nonnullis exceptis eodem modo formis εἰς et ἐς usi sunt. II. Librarii sexcenties mutavere εἰς in ἐς, quum perraro vel nunquam fere pro ἐς male scripserint εἰς. III. Tragici *ante vocales* in dialogis vel in partibus, quae imitantur sermonem popularem et quieta metra ostendunt, semper εἰς posuerunt, ἐς ita tantum usurpantes, si per metrum εἰς locum invenire non poterat. In lyricis vero carminibus, vel in metris vividioribus et splendidioribus ἐς et εἰς promiscue quidem usu veniunt, sed ἐς longe praevalet. ***Quare in senariis semper scribendum est εἰς etiam libris repugnantibus.***

Igitur si haec recte observata sunt, in Alc. v. 320 scribendum erit εἰς αὔριον, omnibusque locis quos Nauckius affert tanquam regulam suam confirmantes, forma εἰς restituenda. Jam denique ut nullum omittamus locum, ubi Nauckius quam constituit regulam, usum linguae semper esse respiciendum, secutus est, afferatur Rhesi v. 790—91

θερμὸς δὲ κρουνὸς δεσπότου παρὰ σφαγαῖς
βάλλει με δυσθνήσκοντος αἵματος νέου

Quid omnino de hac fabula sit statuendum, utrum Euripidi tribuenda sit necne, etiamnunc post egregium Vateri librum (Vind. Rhes.) hominum doctorum sententiae inter se discrepant*). Nos vero hanc quaestionem intactam relinquentes videamus, quae Nauckius de verbo δυσθνήσκειν dicat, quod iterum legitur El. 843 et immerito ab Hermanno conjectura positum est in Phoen. v. 1438, ubi Nauckius scribendum esse dicit δύσθνητον.

„Wäre die euripideische Electra uns nicht erhalten, so würde die Form δυσθνήσκων als ein höchst gewichtiges Argument für die Unechtheit des Rhes. geltend gemacht werden, und jeder Versuch, dieselbe zu beseitigen, als misslich erscheinen." Recte igitur V. D. formam rejicit, quae legibus graecae linguae repugnat (Lobeck. Phryn. p. 616), quamquam Dindorfius, Vaterus, Hartungus eam recipere nihil dubitaverunt. Num tamen Nauckii verbum δυσθνητοῦντος ab Euripide scriptum sit, quod unius tantum loci auctoritate confirmatur (Nicol. Dam. ap. Muellerum, fr. hist. gr. Vol. III.), quaeri potest, quamvis concedendum sit, tales quaestiones in Rhesi fabula non semper certo posse dijudicari. Plura ejusmodi exempla vid. apud Nauck., cf. etiam Henr. Schaeferum melet. crit. p. 6.

Jam vero his exemplis collectis atque consideratis ad ipsam rem transeuntes omnes locos perlustremus, ubi Nauckius legem illam a se commendatam nobis visus est neglexisse**).

---

*) Cf. Spengler, „de Rheso tragoedia, pars prior" (progr. gymn. Dueren. 1857.). F. Hagenbach, „de Rheso tragoedia" (diss. inaug. Basil. 1863.).

) Idem etiam fecisse V. D. in Sophocle emendando, exemplis allatis possem demonstrare. Quod quamquam alienum a consilio meo omitto, liceat tamen, unum locum hic adscribere Oed. Col. v. 710, ubi Ritschelius (de cantico Sophocleo Oedipi Col. prooem. acad. Bonnae 1862.) Nauckii conjecturam μεγαλαύχημα his verbis rejecit: „*Fines autem modestiae merito judicabimus Nauckium excessisse***, qui reliquis servatis omnibus, quae convellisse nostra disputatione videmur, vim et

Hippol. v. 802.

Chorus Theseo reduci uxoris calamitatem narrat:

Θ. τί φής; ὄλωλεν ἄλοχος; ἐκ τίνος τύχης;
X. βρόχον κρεμαστὸν ἀγχόνης ἀνήψατο.

Si schol. Aristoph. Ach. 125, schol. Eurip. Androm. 817, Etym. Magn. p. 194, 49, Suid. v. *ἀγχόνη* contendunt, *ἀγχόνη* significare ***laqueum***, *ἀγχονή* vero ***suspendium***, cum Nauckio dicendum est, huic rei non magnam habendam esse fidem. Sed haec pertinent ad accentum; ceterum haud scio an recte statuamus dicentes, illud verbum duobus tantum locis (Simonid. Am. fr. I. 18. p. 197 Schneid., Apollod. III, 13, 3.) significationem laquei habere. Saepius quam ab Aeschylo et Sophocle, ab Euripide usurpatum est, neque negandum, pluribus locis utra sit significatio praeferenda, difficile esse dijudicatu. cf. Phoen. 333: *ἀνῇξε μὲν — ὑπὲρ τέραμνα τ' ἀγχόνας.* Androm. 816: *ἐγὼ μὲν οὖν δέσποιναν εἴργουσ' ἀγχόνης, κάμνω.* Bacch. 246: *ταῦτ' οὐχὶ δεινῆς ἀγχόνης ἔστ' ἄξια.* Heraclid. 246: *καὶ τάδ' ἀγχόνης πέλας* Helen. 201: *ἐν ἀγχόναις θάνατον ἔλαβεν.* Herc. fur. 154: *βραχίονός φησ' ἀγχόναισιν ἐξελεῖν.* Sed melior mihi significatio *laquei* videtur Hipp. 777: *ἐν ἀγχόναις δέσποινα,* imprimis quum chorus mox repetat: *κρεμαστοῖς ἐν βρόχοις*, deinde in Erechth. fragm. 364, 26 (Nauck): *ὃ καὶ σίδηρον ἀγχόνας τ' ἐφέλκεται* propter praecedens *σίδηρον*, denique Helen. 299: *ἀσχήμονες μὲν ἀγχόναι μετάρσιοι*

---

manus ***innocentissimis vocabulis*** eisdemque gravissimis intulit, hoc emendatorum nimirum versuum exemplo proposito in appendice editionis Schneidewiniae:

οὐδ' ἐν Δωρίδι νάσῳ Πέλοπος πώποτε βλαστόν —
δῶρον δαίμονος εἰπεῖν, μ ε γ α λ α ύ χ η μ α μέγιστον.

Quid enim quaeso aptius — —. Quae omnia quum tam sagacem virum fugere minime potuerint, videtur is ***inventi illius sui, quod est μεγαλαύχημα, lenociniis adeo captus esse***, ut magnifico vocabulo, quod intellegeret cum *μεγάλου δαίμονος* et *μέγιστον* omnino non posse eodem versu consociari, quovis pacto locum dare adgrederetur. Et tamen ne ipsa quidem *μ ε γ α λ α ύ χ η μ α μ έ γ ι σ τ ο ν* nomina concedimus sine quaesiti acuminis tali artificio jungi, quale hic poeta prorsus detrectet, ingeniosus ille quidem artifex orationis, non argutulus."

propter verba *ἀσχήμονες, μετάρσιοι.* Apud Sophoclem vox *ἀγχόνη* semel tantum invenitur Oed. R. 1374: *οἷν ἐμοὶ δυοῖν ἔργ' ἐστὶ κρείσσον' ἀγχόνης εἰργασμένα,* quae in Schneidewini adnotationibus vertuntur: „*dem Strange* überlegenes, was der Strang allein nicht strafen kann", quam explicationem Nauckius probare videtur. Apud Aeschylum quoque semel tantum *ἀγχόνη* legitur Eumen. 746 (Dind.): *νῦν ἀγχόνης μοι τέρματ', ἢ φάος βλέπειν.* Jam redeamus ad nostrum locum, ubi Nauckius scribendum esse contendit *ἀρτάνης,* dicens vocem *ἀγχόνη* nusquam apud veteres scriptores significare *laqueum,* formamque orationis non minus esse ineptam, ac si latine dicas „*suspendii laqueus*". Ponam cum Nauckio, *ἀγχόνη* nusquam *laqueum* significare, quae vero sententia exemplis allatis satis debilitata videtur: etiamtum esset viri doctissimi mutatio rejicienda; quaero enim, utrum ineptius sit: „suspendii laqueus", an „restis laquei"? Vox *ἀρτάνη* nusquam apud Euripidem legitur, quum *ἀγχόνη* decies inveniatur. Sed haec hactenus; satis mihi videor demonstrasse, lectionem *ἀγχόνη* omni modo esse retinendam.

ibid. v. 969.

Plerumque, dicit Theseus, in mulieres gravissimae contumeliae congeruntur, quamquam interdum adolescentes non minoribus vitiis laborant, nam

οἶδ' ἐγὼ νέους
οὐδὲν γυναικῶν ὄντας ἀσφαλεστέρους,
ὅταν ταράξῃ Κύπρις ἡβῶσαν φρένα.

Nauckius pro *ταράξῃ* scripsit *χ α ρ ά ξ ῃ*, quod verbum apud Euripidem bis legitur, Med. 157: *κείνῳ τόδε μὴ χαράσσου,* ubi vertendum est „*irasci*", et Rhes. 73: *νῶτον χαραχθείς,* ubi propria significatione adhibitum est („radere"). Eo vero, quem Nauckius vult, sensu Euripides verbo non videtur usus esse, nam fragmentum, quod V. D. affert 434: *ἔρως γὰρ ἄνδρας οὐ μόνους ἐπέρχεται, οὐδ' αὖ γυναῖκας, ἀλλὰ καὶ θεῶν ἄνω ψυχὰς χαράσσει, κἀπὶ πόντον ἔρχεται* non constat utrum Euripidi an Sophocli sit tribuendum (Phaedr. IV. 3). Deinde vero ne certo quidem de hac forma judicari licet, cum Clem. Alexandr. nobis *τ α ρ ά σ σ ε ι* tradiderit. Apud Aeschylum quo-

que verbum *χαράσσειν* semel tantum (Pers. 683) invenitur, quo loco propria significatione usurpatum est. Apud Soph. non legitur nisi illo fragmento, de quo vid. Ellendt. lex. Soph. v. *ταράσσειν*. Quid igitur dicendum est? Verbum *χαράσσειν* eo, quem Nauckius vult, sensu a tragoedia, certe Euripidis alienum videtur esse, quare, quum *ταράσσειν* apud hunc poetam saepius reperiatur optimeque sensui conveniat, nulla causa est cur mutemus.

ibid. 1194 sqq.

Nuntius versatur in narranda calamitate Hippolyti, qui a patre exsilio punitus erat:

κἀν τῷδ' ἐπῆγε κέντρον εἰς χεῖρας λαβὼν
πώλοις ὁμαρτῇ· πρόσπολοι δ' ἐφ' ἅρματος
πέλας χαλινῶν εἱπόμεσθα δεσπότῃ κ. τ. λ.

Primum monere velim, verbum *ὁμαρτῇ* non referendum esse ad *κἀν τῷδε* sed pertinere ad *πώλοις*, quae conjungendi ratio simplicissima est. Nam verba *κἀν τῷδε*, quibuscum Nauckius *ὁμαρτῇ* conjungit, ne egent quidem tali additamento. Ceterum Nauckio concedo, vitium, siquidem esset revera statuendum, facile explicari. Sed difficilius est, judicare de verbis *ἐφ' ἅρματος*, sicut plerumque legitur, quae Hartungus non recte mutavit in *ἀμφ' ἅρματι*. Adeundus est Kirchhoffius, qui adnotavit: „*ἐφ' ἅρματος* B. *ἐφ' ἅρματι* CE. *ἐμφ' ἅρματος* b. *ἐφ' ἅρματος* c. *ὑφ' ἅρματος* [*B*]. *ἐφ' ἅρματος* *C* (sic enim apogr. Par. et excerpta Puteani). At in A prima manu scripta leguntur haec: *ἐφασκομ*, quae licet jamjam evanida, facile tamen agnoscuntur, nisi quod de ultima dubitari posse fatendum est. ea sic correxit manus secunda, ut *σ* mutaret in *ρ*, literae *κ* induceret *μ*, inter *ο* et *μ* finale insereret *τ*, unde patet, eam *ἐφάρματος* sive *ἐφάρματι* dare voluisse. Jam illud puto dubitari non posse, quin quae sunt in libris ceteris *ἐφ' ἅρματος*, *ἐφ' ἅρματι*, *ὑφ' ἅρματος* librariorum corrigentium habeamus tentamina, genuina autem solius servaverit libri A manus antiqua. eam dedisse suspicor *ἐφάσκομεν*, quo recepto versu sequenti addendum erit *δ'* post *χαλινῶν*." E literis igitur *ἐφασκομ* exeundum esse, rectissime cum Kirchhoffio monuit Nauckius, sed neque illius *ἐφάσκομεν*, quod ne intelligitur quidem, neque quod hic proposuit *ἄκασχ' ὁμοῦ* probandum est. Hoc enim verbum, quod significat *ἡσύχως*, *βραδέως* primum sensui repugnat, quum, si Hippolytus curru vehitur, dici non possit, servos quiete lenteque sequi; deinde vero vocabulum *ἄκασκα* apud nullum veterem scriptorem invenitur, sed tantum a grammaticis ex Cratino Com. affertur, quare sine dubio rejiciendum est. Equidem illis literis *ἐφασκομ* latere suspicor lectionem *ἔμπας ὁμοῦ*, quae optimum sensum praebet, quaeque eo facilius etiam explicatur, quum nobis Kirchhoffius dicat, ductus literarum *ἐφασκομ* jamjam evanidos esse. Vertas igitur: „Jam Hippolytus equos incitavit; nos tamen servi sequebamur."

Hecub. v. 574.

οἱ μὲν αὐτῶν τὴν θανοῦσαν ἐκ χερῶν
φύλλοις ἔβαλλον, οἱ δὲ πληροῦσιν πυράν.

Hoc loco mea opinione dicendum est, poetam ab imperfecto ad praesens tempus transisse, quum Graeci non solum saepissime praesens quod dicunt historicum usurpent, sed etiam temporum permutatione multa cum libertate utantur. v. Hecub. 1214. 15. Suppl. 652. Hecub. 963. Thuc. I. 95: *ἐλθὼν δ' εἰς Λακεδαίμονα κ. τ. λ.*, ibid. I, 46, extr., ibid. VII. 83: *καὶ ἀναλαμβάνουσί τε τὰ ὅπλα κ. τ. λ.*, Soph. Ant. 406. Oed. Col. 376. Trach. 676. 698. Neque enim adducor, ut cum Nauckio scribam: *οἱ δ' ἐπληροῦσαν*, quae forma imperfecti nulla nisi grammatici cujusdam (Choerob. in Theod. p. 537, 8) auctoritate confirmatur *).

---

*) Non negligendum est, veteres grammaticos, quamvis saepissime egregium nobis auxilium praebeant, haud raro etiam falsissima ferre judicia. Conf. Eurip. Heraclid. v. 283, ubi recentiores editores immerito scribunt:

μάτην γὰρ ἥβην ὧδέ γ' ἂν κεκτῴμεθα
πολλὴν ἐν Ἄργει μή σε τιμωρούμενοι

quum Brunckius et Elmsleius recte dedissent *κεκτήμεθα*. Nam si recte Cobetus observavit, forma *κεκτῴμεθα* grammaticorum errore nata et propagata est, quum quinque omnino esse verba graeca dicat V. D., quibus sit in perfecto passivo forma optativi: *μεμνῄμην*, *μεμνῇο*, *μεμ-*

Ibid. v. 1215.

ἀλλ᾽ ἡνίχ᾽ ἡμεῖς οὐκέτ᾽ ἐσμὲν ἐν φάει
καπνῷ δ᾽ ἐσήμην᾽ ἄστυ πολεμίων ὕπο,
ξένον κατέκτας κ. τ. λ.

Quorum versum alterum sic ab Euripide non potuisse scribi, rectissime monuit Nauckius, ad cujus relego argumentationem. Neque vero magis probanda est ipsius V. D. conjectura, quamvis facillime e librorum vestigiis explicetur:

καπνῶδες ἡμῖν δ᾽ ἄστυ πολεμίων ὕπο.

Primum enim satis mira est dicendi ratio „urbs erat fumosa per hostes", deinde vocula *δέ* non bene collocata est, et denique verbum *καπνῶδες* neque ab Euripide scriptum neque apud ullum alium tragicum usurpatum invenitur *), quae omnia Nauckium non videntur fugisse dicentem: „was wenigstens der Ueberlieferung sich möglichst eng anschliesst." Qui Nauckii conjecturam improbat Seyffertus, l. l. p. 51 haec proposuit:

καπνῷ δὲ σῆμ᾽ ἦν ἄστυ πολεμίων ὕπο

„i. e. postquam urbs incendio sepulcrum factum est ab hostibus", quae quamquam melior est emendatio, vehementer tamen vereor, ne falsa sit. Nam etiamsi verbum *σῆμα* sepulcrum significare potest, tamen illa dicendi ratio exemplis e graecis scriptoribus petitis confirmari nequit; praeterea autem nostro loco non vertendum esset: „urbs sepulcrum factum est", sed „urbs sepulcrum e s t per hostes", id quod dubito num bene dici possit. Prorsus de Nauckii et Seyfferti conjecturis consentientem mecum video H. Hirzelium, l. l. p. 30 adnot., cui hoc tantum non concedam, imperfectum *ἦν* post

---

νῆτο; κεκλήμην, κεκτήμην, βεβλήμην et *καθήμην*. Praeter has formas nullas sibi alias ejusdemmodi lectas esse usquam neque exstare arbitratur. Vid. Mnemos. V. p. 271. Nauck, Stud. ad Or. v. 383. Buttm. grammat. ampl. I. p. 440 sqq. Vid. ad Hecubae v. 574 C. Schenkl, l. l. p. 829.

*) Similibus permotus causis Nauckii conjecturam improbat C. Schenkl, l. l. p. 843. Neque vero magis videtur ferendum esse, quod ipse proposuit:

καπνὸς δ᾽ ἐσήμην᾽ ἄστυ πολεμίοις ὕπο.

ἐσμέν non esse ferendum, de quo alio loco dixi. De ejus emendandi ratione

καπνῷ δ᾽ ἐρῆμον ἄστυ πολεμίων ὕπο

facillima jam ipse quoque cogitaveram, dubitans eam proponere, quum potius ut dictum sit exspectemus: „postquam urbs igni deleta est" neque vero „postquam urbs fumo vasta fuit." Hirzelius quidem vertit: „postquam urbs incendio deleta est." Aliis igitur hoc dijudicandum relinquo.

Troad. v. 350.

Cassandra, Priami filiarum pulcherrima, cui ab Apolline ars divinandi praebita fuit, divina insania ac furore correpta faces quas nuptiales esse putabat, vibrans gaudioque exsultans, carminibus Hymenaeum celebravit. Qua re quum Hecuba mater, acerbissimam intuens miseriam, vehementer commota esset, filiam adhortatur ut ad se redeat, his verbis:

παράδος ἐμοὶ φῶς· οὐ γὰρ ὀρθὰ πυρφορεῖς,
μαινὰς θοάζουσ᾽, οὐδὲ σ᾽ αἱ τύχαι τέκνον
ἐσωφρονήκασ᾽, ἀλλ᾽ ἔτ᾽ ἐν ταὐτῷ μένεις.

Sic verba in libris exhibentur, nisi quod in uno minoris notae libro legitur *ἔσω φρονίκασιν*. Satis mirandum, quod homines docti de hoc loco, qui simplicissima ratione emendandus est, tam multa scripserunt. Seidlerus, quem Kirchhoffius secutus est, emendavit:

οὐδὲ σαὶ τύχαι, τέκνον, σεσωφρονήκασ᾽

(Deine Geschicke sind vernünftig geworden), quod rectissime a Nauckio refellitur. Neque magis ferendum, quod Heathius proposuit: *οὐδὲ σαῖς τύχαις, τέκνον, ἐσωφρόνηκας*, neque quod Hartungus:

οὐδὲ σ᾽ αἱ τύχαι, τέκνον,
σοφὴν ἔθηκαν, ἀλλ᾽ ἔτ᾽ ἐν ταὐτῷ μένεις

jam hac de causa, id quod recte Nauckius monuit, quia notio sapientiae ab hoc loco prorsus aliena est. Omissis aliis videamus, quomodo Nauckius ipse scribendum esse putet. Quod uno fragm. 671 legitur: *ὁ δ᾽ εἰς τὸ σῶφρον ἐπ᾽ ἀρετήν τ᾽ ἄγων ἔρως ζηλωτὸς ἀνθρώποισιν*, V. D. sic emendavit:

οὐδὲ σ᾽ αἱ τύχαι, τέκνον,
ἐς σῶφρον ἧχασ᾽, ἀλλ᾽ ἔτ᾽ ἐν ταὐτῷ μένεις

quae conjectura minime erit probanda. Primum enim scribendum esset *εἰς τὸ σῶφρον*, quum articulo vix carere possimus et alio loco viderimus, in trimetro tragico metro non repugnante semper formam *εἰς* esse adhibendam. Deinde vero forma *ἤχασι* graeca lingua haud facile usurpata est *), et praecipue denique haec emendandi ratio non probanda erit propterea, quod multo adest facilior; nam sine dubio scribendum est:

οὐδέ σ᾽ αἱ τύχαι, τέκνον,
σεσωφρονίκασ᾽, ἀλλ᾽ ἔτ᾽ ἐν ταὐτῷ μένεις.

Litera *σ* in initio posita facillime omitti poterat, praesertim quum *σ* sequatur; literas autem *η* et *ι* saepissime inter se mutatas esse, vix monendum est, vid. append. ad Mnemos. Voll. II—VII, p. 87. Bast. ap. Schaef. in edit. Greg. Cor. p. 716. 923.**).

cf. Antiop. fr. XVI (Wagner):

οὐ σωφρονίζειν ἔμαθον, αἰδεῖσθαι δὲ χρὴ

(non didici alios prudentes reddere). Hercul. fur. 869: *ἀμπνοὰς δ᾽ οὐ σωφρονίζει, ταῦρος ὥς ἐς ἐμβολήν·* Xenoph. memor. II, 1, 16: *τὴν λαγνείαν λιμῷ σωφρονίζειν.* Dion. Hal. scrptt. cens. V, 2: *μεσότητα λιτότητι σωφρονίζειν*, Xenoph. Cyr. III, 1, 20: *ἡ τοιαύτη ἧττα σωφρονίζειν ἱκανή*, et m. a. ***).

Ibid. v. 474.

Hecuba lamentationes effundit propter maximam in quam detrusa est calamitatem, quum antea potentissima fuerit atque felicissima.

ἦμεν τύραννοι κεἰς τύραννʼ ἐγημάμην,
κἀνταῦθ᾽ ἀριστεύοντ᾽ ἐγεινάμην τέκνα,

---

*) Invenitur *προῆχα, συνῆχα*, sed non memini verbi simplicis *ἄγειν* formas temporis perfecti apud Euripidem legisse; semper aoristus usurpatur.

**) Literas inter se mutatas accuratissime collegit Ernest Gros ad Philodem. libr. de rhetorica, Par. 1840. Vid. H. Sauppe, „Grabrede des Hyperides", Philol. suppl. I.

***) Sophocles verbum *σωφρονίζειν* non usurpavit; apud Aeschylum semel legitur Suppl. 724: *ἀλλ᾽ ἡσύχως χρὴ καὶ σεσωφρονισμένως — τῶνδε μ᾽ ἀμελεῖν θεῶν.*

οὐκ ἀριθμὸν ἄλλως, ἀλλ᾽ ὑπερτάτους Φρυγῶν.

Sic omnes fere libri locum tradunt. Agitur de verbo *ἦμεν*, quod Nauckius tolerandum esse negat, quia sic Hecuba ambigue loquatur. De prima persona sing. imperf. verbi *εἰμί* tam saepe et varie ab hominibus doctis disputatum est, ut illo Horatii verbo uti liceat „grammatici certant et adhuc sub judice lis est." Hermannus praef. ad Soph. Oed. R. p. XVI sqq. XXV formam primariam *ἔα* imperfectum, formam vero *ἦα* aoristum esse putat, id quod certo demonstrari nequit, imprimis quum antiqua lingua tempora aoristi et imperfecti saepissime inter se permutentur. Id quidem nunc satis constare videtur, formam *ἧ*, quae ex illis *ἔα, ἦα* orta est *), dialecto Attica antiquiore, formam *ἦν* dialecto recentiore usitatam fuisse **). Elmsleius enim loco infra laudato dicit, formam *ἦν* apud Euripidem rarissimam esse, fortasse *ubique ἦ* esse restituendum. Cobetus (Mnemos. V. p. 235) contendit, in antiqua Atthide ubique *ἦ* qro *ἦν* ante consonantem reponendum esse, quamquam Dindorfius, thes. gr. l. III, 262 B negat, Euripidem unquam formam *ἦ* usurpavisse. Sed merito Nauckius Elmsleio assentitur, in Euripidis tragoediis ubique formam *ἦ* restituendam esse ***).

Quibus expositis quaeritur, quidnam nostro loco scribendum sit. Elmsleius legem a se constitutam secutus scribit *ἦ μὲν τύραννος*, quae conjectura jam propterea rejicienda videtur, quod particula *μὲν* sententiae non apta est, id quod

---

*) V. Brunck. ad Aristoph. Plut. 77. Piers. ad Moerid. p. 172. Brunck. lex. Soph. p. 722 sq.

**) Porphyr. in schol. Venet. ad Il. *ε΄* 533, ad Od. *θ΄* 186, p. 283, Buttm. Eustath. Od. p. 1761, 51. Vid. Elmsleium praef. Soph. Oed. R. p. X. Herm. praef. Oed. R. p. VII sqq. Blomf. ad Aesch. Agam. 1617.

***) Vid. Nauck. Stud. II, p. 67 adnot., ubi emendantur loci: Alc. 655. Hel. 992. Herc. fur. 1416. Hippol. 1012. Iph. Aul. 944. Ion 280. cf. etiam Soph. Oed. R. 801. 1123. 1355. 1393. 1389. Si Ellendt. lex. Soph. p. 512 dicit, Elmsleium refelli loco Euripidis Alc. 655, ubi *ἦν* ante vocalem scriptum exstet, hoc loco jam antea Nauckius propter solum sensum dederat pro *ἐγώ σοι γεγώς σοι*, quare nunc etiam hic recipiendum erit: *παῖς δ᾽ ἦ γεγώς σοι.*

etiam Nauckius monuit, qui scribendum esse dicit „ἤμην τύραννος.“ Sed num hanc formam usurpaverit Euripides, valde dubium est, duo enim loci, ubi reperitur, incerta sunt auctoritate, Helen. 931: *ἐγὼ δὲ προδότις οὐκ ἄρ᾽ ἦν φίλων*, quam codicum lectionem Dindorfius post Piers. ad Moer. p. 172 auctore Choerob. in Theod. p. 882, 10 et Etym. M. p. 430, 15 mutavit.

Deinde fragm. adesp. 97 (Nauck):

σοφὴ μὲν ἤμην, ἀλλὰ πάντ᾽ οὐκ εὐτυχής,

qui versus sumptus est e Dion. Chrysost. 64, 6, qui dicit: *ἐπιγραφὴ δὲ ἐπί τινος στήλης πλησίον* „*σοφὴ — — εὐτυχής*“, e quo apparet, illa verba inscriptionem esse, neque vero certo constare, cuinam poetae sint tribuenda. Audiamus etiam Phryn. ecl. p. 152 dicentem: *ἤμην, εἰ καὶ εὑρίσκεται παρὰ τοῖς ἀρχαίοις οὐκ ἐρεῖς, ἀλλ᾽ ἦν ἐγώ*, quae quidem verba Nauckius in suum usum convertit, et Cobetum (Mnemos. V, p. 236): „Piersonus ad Moerid. p. 172 ex Etym. M. p. 430, 15 protraxit scripturam *οὐκ ἤμην φίλων*, quam quum Macedonibus et Alexandrinis et faeci Graeculorum debebat relinquere, *Etymologi auctoritate* recepit, quem Dindorfius secutus est. Debetur hoc *ἑρμαῖον* Gorgio Choerobosco p. 882, 10, quem si quis id sibi habere jusserit et Euripidi *οὐκ ἄρ᾽ ἦ φίλων* reddiderit, eum boni critici officio functum esse existimabo.“ Jam utut res se habet, quum id certe negari non possit, formam *ἤμην* apud antiquiores scriptores rarissimam esse, apud Sophoclem et Aeschylum nusquam inveniri, dicendum est, etiam hoc loco eam esse rejiciendam, praesertim quum alia et sine dubio vera scribendi ratio adsit. Certissime enim cum libris scribendum erit:

ἦμεν τύραννοι κεὶς τύραννʼ ἐγημάμην,

nam quod Nauckius dicit, ambiguitatem orationi sic inesse, non verum est, quum saepissime Euripides a plurali numero ad singularem, a singulari ad pluralem transeat, cujus usus sexcenta possum afferre exempla: Herc. f. 858: *ἥλιον μαρτυρόμεσθα, δρῶσ᾽ ἃ δρᾶν οὐ βούλομαι.* ibid. 1207: *ἱκετεύομεν ἀμφὶ σὰν γενειάδα καὶ γόνυ καὶ χέρα προσπίτνων.* Troad. 904: *ὡς οὐ δικαίως, ἢν θάνω θανούμεθα.* Suppl. 305. El. 36.

Med. 220. Jon. 750. 1250. Helen. 22. 800. 1010. 1084. Andr. 142. Iph. T. 348. 578. Vid. Lobeck. ad Soph. Ai. p. 248. Tafel, dilucidd. Pind. I, 2, p. 789 sqq. Walch ad Tac. Agr. p. 410. Krüg. gr. I, § 61, 2, 1. II, § 58, 3, 2 *).

Med. v. 511.

Medea Jasonem propter perfidiam maximis cumulat opprobriis:

θαυμαστὸν δέ σε
ἔχω πόσιν καὶ πιστὸν ἡ τάλαιν᾽ ἐγώ κ. τ. λ.

Audiamus Nauckium: „Die Begriffe *θαυμαστόν* und *πιστόν* sind sehr heterogener Art, und *πιστόν* ist in diesem Zusammenhange unpassend. Von der Treulosigkeit des Jason hat Medea vorher v. 489 ff. gesprochen; hier sucht sie zu zeigen, dass das schimmernde Glück, welches Jason ihr bot, zum schmachvollen Elend umschlug. „Was hilft es mir, einen gepriesenen Mann zum Gatten zu haben, wenn ich hinausgestossen werde von Freunden verlassen, allein mit meinen Kindern?“ Danach muss man statt *πιστόν* einen dem *θαυμαστόν* verwandten Begriff erwarten.“ — Deinde proponit scribere *σεπτόν* secundum Alexandr. ap. Walz, rhet. Vol. VIII, p. 451, ubi legitur *ἔχω πόσιν καὶ σεμνόν.* Sed verbum *πιστόν* hoc loco aptissimum est, nam etiamsi Medea antea de perfidia Jasonis jam dixerat, prorsus ejus naturae convenit, si eodem semper revolvit. Quum magna illa beneficia Jasoni praebita enumerasset, nunc acerbissima cum ironia pergit: „admirabilem profecto et fidelem maritum te habeo“ etc., quae, sensum respicientes sic redderemus: „O, eine bewundernswerthe Treue fürwahr!“ Id enim quam maxime animadvertendum est, Medeam cum ironia loqui, unde apparet, Nauckium non recte vertere: „Was hilft es mir, einen *gepriesenen* Gatten zu

---

*) Miror eo magis V. D. judicium, quum de hac re dicat ad Hecub. 75, ubi scribendo:

ἣν περὶ παιδὸς ἐμοῦ τοῦ σωζομένου κατὰ Θρήκην
ἀμφὶ Πολυξείνης τε φίλης φοβερὰν ἐδάημεν

ipse hanc dicendi rationem Euripidi tribuit. Vid. eund. ad Alc. v. 373, et obs. crit. de trag. graec. fragm. p. 35. Soph. Antig. v. 734.

haben." Quibus expositis ut redeam ad viri doctissimi conjecturam, dicendum est, vocem σεπτόν neque sensui convenire, neque verbum esse Euripideum. Idem enim significat, quod σεμνός, *sanctus, reverendus,* quod quomodo hic dici possit non video. Neque apud Sophoclem hoc verbum invenitur; apud antiquiorem Aeschylum semel legitur Prom. v. 812.

Ibid. 734 sqq.

De hoc loco non multa verba faciam, quia accurate jam a M. Seyfferto (l. l. p. 45) tractatus est, cui prorsus assentior. Vid. etiam C. Schenkl, l. l. p. 839. Hoc unum tantum velim monere, Nauckium etiam hic verbum recepisse, quod ab usu Euripideo alienum est, nam adjectivum φηλός neque ab hoc poeta, neque ab aliis tragicis usurpatum est. Seyffertus ad h. l. dicit: „Von Naucks Vermuthungen ist übrigens nicht eine probehaltig, weder das komische φηλός noch das epische πίθοι."

Ibid. v. 1012.

τί δή κατηφεῖς ὄμμα καὶ δακρυρροεῖς;

Kirchhoffius: τί δαὶ κατηφεῖς, quod Nauckius rejecit, quum vocula δαί ab usu tragicorum abhorrere videatur. Recte, quamquam ipse V. D. δαί retinuit El. 244. 1116. Cycl. 449. Vid. Pors. ad nostrum locum et Ellendt. lex. Soph. v. δαί. Neque vero magis tragoediae usui convenit verbum κατηφεῖν, de quo Nauckius nihil dicit. Vid. Cobet. Mnemos. V, p. 402 dicentem: „Corrigendum esse puto κατηφὲς ὄμμα, namque verbum κατηφεῖν, quo sequiores Graeculi plurimum delectantur, a tragicorum usu plane abhorrere videtur". κατηφής apud Euripidem invenitur Or. 881. Heraclid. 633, sed neque usquam apud Sophoclem, neque apud Aeschylum.

Phoen. v. 370.

Polynices vehementer conqueritur, quod sibi injuste patria expulso peregrina terra vita misere degenda sit.

ὧν οὖν δικαίως ἀπελαθεὶς ξένην πόλιν
ναίω, δι' ὄσσων ὄμμ' ἔχων δακρυρροοῦν

Quid sit de his verbis statuendum, nescio praeter hoc, verba δι' ὄσσων ὄμμ' ἔχων nullo modo ferri posse, et illud alterum, Nauckii conjecturam δίοσσον ὄμμ' ἔχων certissime esse reji-

ciendam. Vocabulum δίοσσος a V. D. fictum est, quod quomodo exemplis illis ad hunc locum allatis satis esse confirmatum dicere possit non video; deinde vero ne sensui quidem aptum est, Polynicem loqui de utroque oculo. Fortasse Seyffertus (l. l. p. 31) ad rectum propius accedit scribendo:

ναίω δι' ὁσίων ὄμμ' ἔχων δακρυρροοῦν

quamquam mihi quidem etiam haec conjectura displicet.

Ibid. v. 504.

Ubi Eteocles suam rem contra Polynicem fratrem defendit, leguntur versus in libris sic scripti:

ἄστρων ἂν ἔλθοιμ' ἡλίου πρὸς ἀντολὰς
καὶ γῆς ἔνερθε, δυνατὸς ὢν δρᾶσαι τάδε,
τὴν θεῶν μεγίστην ὥστ' ἔχειν τυραννίδα.

Prorsus cum Nauckio hominum doctorum aut explicationes aut emendationes refutante consentio. Quaeramus de sensu horum verborum, qui mea opinione simplicissime sic exprimitur: „Ad remotissimas penetrarem ego regiones, ut imperium possem habere", id quod ita poeta instituit, ut Eteoclem primum dicentem faciat de coelo et deinde de intimis terrae regionibus. Simpliciter igitur hanc sententiam circumscripsit, Eteoclem omnia quin etiam difficillima ad imperium sibi comparandum moliturum esse. Haud quidem ignoro, hanc sententiam improbari a Seyfferto (l. l. p. 33.) haec dicente: „Bald wird man erkennen, dass weder die Bezeichnung des äussersten Ostens in ἡλίου πρὸς ἀντολάς unzweideutig enthalten sei, welche in ἐς ἀντολάς allerdings deutlicher hervortritt, noch dass irgend ein plausibler Grund dieses Anerbietens: *„ich würde bis zum Aufgang der Gestirne und der Sonne dringen"*, der in richtigem Verhältnisse zu der Bedingung stände: *„wenn ich dadurch in den Stand gesetzt wäre, mich der mächtigsten der Göttinnen, der Tyrannis zu bemächtigen"*, sich ausfindig machen lässt," nec tamen adducor, ut rem aliter se habere existimem. Praepositio πρός quam Seyffertus latine vertit „versus" hac de causa ferri potest, quia minime necessarium est, ut hic de adveniendo ad locum quendam cogitetur, id quod etiam apparet ex verbis quae sequuntur: καὶ γῆς ἔνερθε, quae significant „in das Innere der Erde hinein" certo loco

non descripto. Deinde contra Seyffertum repeto, verba non ita esse intelligenda, ut Eteocles dicat, se Deam petere velle, id quod absurdum sane esset, sed nihil iis exprimi nisi hoc: Omnia faciam, summa suscipiam pericula, ut imperium adipiscar. Neque enim sine causa poeta verba *δυνατὸς ὢν δρᾶσαι τάδε* prioribus adjecit, non illis: *τὴν θεῶν μεγίστην ὥστ' ἔχειν*, quum de Dea quadam e coelo vel terra petenda non agatur, id quod etiam e verbo *ἔχειν* satis intelligitur. Jam vero redeamus ad Nauckium, qui scribi vult:

ἄστρων ἂν ἔλθοιμ' ἡλίου τ' ἐς ἀντολάς

aut: *ἄστρων ἂν ἔλθοιμ' χ' ἡλίου πρὸς ἀντολάς* *)

quarum alteram sibi magis placere emendationem dicit. Jam hoc statim sequitur, Nauckius si duas scribendi rationes nobis proponit eligendas, ut locum a se sanatum esse ipse non existimet, quarum rationum altera propter rarissimam formam optativi *ἔλθοιν* mea opinione non probanda est. De priore vero propterea dubito, quod causa mutandi non bene intelligitur. Quod Seyffertus proposuit:

ἄστρ' ἂν διέλθοιμ' Ἡλίου παρ' ἄντυγας

nimis quaesite excogitatum est. Quid multa? Mendum latere puto in verbo *ἡλίου* atque poetam scripsisse:

ἄστρων ἂν ἔλθοιμ' ἡδέως πρὸς ἀντολὰς *)

(„Mit Freuden würde ich bis an den Aufgang der Gestirne fliegen"). Facillime fieri potuit, ut literae ***ΗΛΙΟΥ*** et ***ΗΔΕΩC*** permutarentur, praesertim quum falleret librarium recordatio, aliis locis verba *ἡλίου πρὸς ἀντολάς* conjuncta inveniri, ut Aesch. Agam. 1180 (Dind.):

λαμπρὸς δ' ἔοικεν ἡλίου πρὸς ἀντολὰς
πνέων ἐσήξειν κ. τ. λ.

e quo loco etiam apparet, praepositionem *πρός* aptissimam esse. Prom. 707:

πρῶτον μὲν ἐνθένδ' ἡλίου πρὸς ἀντολὰς
στρέψασα σαυτὴν στεῖχ' ἀνηρότους γύας

et similiter in ejusd. fab. v. 791:

*) Vid. C. Schenkl, Philol. XX. p. 308.

ὅταν περάσῃς ῥεῖθρον ἠπείρων ὅρον,
πρὸς ἀντολὰς φλογῶπας ἡλιοστιβεῖς.

Quodsi quis dicat, vocem *ἀντολή* dici de sole, *ἐπιτολή* vero de astris, illo scholio adductus, quod Piersius (Phryn. p. 48) invenerat: *ἀνατέλλει μὲν ἐρεῖς ὁ ἥλιος, ἐπιτέλλει δὲ ὁ Κύων ἢ ὁ Ὠρίων* (v. Phoen. 1116), objiciam, etiam *ἡλίου ἀντολή* inveniri, v. Aesch. Prom. 457: *ἔς τε δή σφιν ἀντολὰς ἐγὼ ἄστρων ἔδειξα.* Eur. fr. 485 (Nauck), a Valckenaerio ad fragmenta Melanippae relatum et sic scriptum:

ἣ πρῶτα μὲν τὰ θεῖα προυμαντεύσατο
χρησμοῖσι σαφέσιν ἀστέρων ἐπ' ἀντολαῖς

Id quidem vix pro mea sententia afferam, astris allatis solem jam commemoratum esse, quamquam enim sol *ἄστρον* a Pindaro dictus est, tamen saepius ab illis discernebatur.

Ibid. v. 1288.

Chorus misera Iocastae matris conditione deplorata duos fratres commiseratur, quorum alter alterum certamine singulari interficere studet.

αἰαῖ αἰαῖ
τρομερὰν φρίκᾳ τρομερὰν φρέν' ἔχω·
διὰ σάρκα δ' ἐμὰν
ἔλεος ἔλεος ἔμολε ματέρος δειλαίας.
δίδυμα τέκεα πότερος ἄρα πότερον αἱμάξει,
ἰώ μοι πόνων,
ἰὼ Ζεῦ, ἰὼ γᾶ,
ὁμογενῆ δέραν, ὁμογενῆ ψυχὰν
δι' ἀσπίδων, δι' αἱμάτων;

Verba *αἱμάξει δι' αἱμάτων*, quae jam alios homines doctos offenderunt, conjungi nullo modo posse, merito Nauckius contendit. Quamquam enim sunt, qui vulgatam lectionem tueantur, inter quos princeps Valckenaerius, G. Hermannus, Klotzius, alii, vehementer tamen vereor, ne errent. Verbum *αἷμα* interdum idem esse posse, quod *μάχαιρα*, ex Soph. El. 1394 falsissime concluserunt Etym. Magn., Suid., Hesych. Figurate quidem *caedem* significare potest, sed omnia quae inveni exempla ita comparata sunt, ut ex significatione sanguinis aut facile explicentur, aut eam etiam admittant. (Cf.

Elmsl. ad Eurip. Bacch. 139. Dorvill. ad Charit. p. 427, Lips.) Vid. Eur. Or. 817. Phoen. 1497. 1512, ubi Nauckius *σπέρματος ἁμερίου* scribi vult (Stud. I, p. 94) Hipp. 35. Androm. 1108. Or. 1548. Soph. Oed. R. 101. 996. Oed. Col. 407. 1672. El. 1385. (Schneidew.). Aesch. Agam. 716. Eumen. 204. 613. 752. Suppl. 7. 449 (Dind.). Verbum *αἱμάσσειν* nihil significat nisi „cruentare“, „sanguine conspergere“, quo usu apud Sophoclem et Aeschylum semper usurpatum invenitur, cf. Ai. 909. 453. Antig. 1175. El. 90. Aesch. Sept. 275. Pers. 595. Agam. 1589. Suppl. 477. Paullo audacius Euripides interdum hoc verbo utitur, cf. Hecub. 1117. 1171. Phoen. 62. 1299. *πέσεα δάϊα αἱμάξετον.* Iph. Aul. 1084, quem versum Hartungus spurium esse judicat; Iph. T. 226: *ξείνων αἱμάσσουσ᾽ ἄταν βωμούς.* Bacch. 761. Ion 168: *αἱμάξεις, εἰ μὴ πείσει, τὰς καλλιφθόγγους ᾠδάς* et interpp. ad h. l. Conferri etiam potest Hecub. 151, ubi similiter dicitur: *φοινισσομέναν αἵματι παρθένον*, ex quibus, opinor, locis omnibus apparet, nostro loco verba *αἱμάξει δι᾽ αἱμάτων* conjuncta ferri non posse.

Jam vero sententiis aliorum hominum doctorum omissis C. F. Hermanni conjecturam commemoro, qui pro *δι᾽ αἱμάτων* scribi voluit *δι᾽ ἡμάτων*, quod verbum Nauckius propterea rejiciendum esse censet, quod unius tantum ejusdemque corrupti loci (Il. ψ, 89) auctoritate nitatur, et quod noster locus eadem ratione tractandus sit, qua Soph. El. 1394:

ἀρχαιόπλουτα πατρὸς εἰς ἑδώλια
νεακόνητον αἷμα χεροῖν ἔχων,

ubi Heusingeri conjectura *νεακόνητον ἧμα* falsa sit, quia de telo quodam missili cogitari non possit. Quamquam mihi non in mentem venit, locum Sophoclis difficillimum emendare, qui nunquam fortasse sanabitur, licet tamen, Nauckium ipsius verbis refutare. Duobus enim locis V. D. scribendum esse dicit *αἶχμα*, quod idem sit atque *αἰχμή*, quod vero, quoniam nihil significat, nisi *telum missile*, quomodo Nauckius loco Sophocleo inferre possit non video, quum ipse dicat: „und wie es hier unmöglich ist, mit Heusinger *νεακόνητον ἧμα* zu schreiben, *da von einem Wurfgeschosse nicht die Rede sein kann,* so wird man auch für die euripideische Stelle K. F. Hermann's Vermuthung abweisen müssen.“ Sed redeamus ad Euripidem. Mea quidem opinione minime licet, formam tragoediae inferre, quae nusquam legitur, etiamsi aliorum verborum duplices formae, quales Nauckius attulit, reperiuntur. Nostrum non est in arte critica factitanda, quaerere, quae formae secundum analogiam fingi possint, sed maxime, quae formae revera in scriptis nobis traditis inveniantur *); quamvis enim concedendum sit, non omnia veteribus temporibus usitata nobis tradita esse, tamen multo plurima eademque apud scriptores maxime usitata nobis servata sunt, in quibus usurpandis acquiescendum erit. Nostro loco fortasse alia adest medela. Quod Nauckius dicit, necessarium esse, ut ad verba *δι᾽ ἀσπίδων* similis etiam notio addatur, dubito num omni ex parte verum sit. Immo, quod quis putabat, notionem illi *δι᾽ ἀσπίδων* respondentem requiri, scripsisse hic potest censeri *δι᾽ αἱμάτων*, quamquam non infitiandum erit, aliam quoque corruptionis causam adesse posse. Quid igitur, si Euripidem scripsisse putemus:

δι᾽ ἀσπίδων μιαιφονῶν;

---

*) Paullo post ad versum 1350 Nauckius verbum *ἐπικραδᾶν* in Euripidis tragoedias infert, quod idem est atque *ἐπικραδαίνω*, sed bis tantum apud scriptores posterioris aevi legitur, ap. Rhod. I, 552. Opp. Cyn. I, 91. In Phoen. versu 129 scribi vult: *στερρωπὸς ὥσπερ ἐν γραφαῖς, οὐ πρόσφορος.* Sed vocabulum *στερρωπός*, quod graeca lingua nusquam invenitur, ab ipso V. D. fictum est. Non me fugit, multorum adjectivorum duas vel tres formas legi, ut *οἴνοψ, οἰνώψ, οἰνωπός; ἀμβλώψ, ἀμβλωπός; γοργώψ, γοργωπός; φλογώψ, φλογωπός* et a. (vid. Porson. ad Eur. Med. v. 1363 et interprr. ad Soph. Oed. Col. v. 674), sed neque unquam *στερρώψ*, neque *στέρροψ*, neque *στερωπός* reperitur. Verbum *στέροψ*, quod semel usurpatum est in Soph. Ant. v. 1127 ex alio derivatur fonte. Neque minus rejiciendum est, quod Seyffertus (l. l. p. 30) proposuit: *ἀστράπιος ἐν γνάθοισιν.* Quid sit de loco difficillimo statuendum equidem nescio. Vid. C. Schenkl, Phil. XX. p. 309. — Denique cf. etiam tres locos, ubi Nauckius itidem verba inusitata adhibuit. Or. 983: *ἐξαμμέναν* (h. e. *ἐξημμένην*), vid. C. Schenkl, l. l. p. 845; Trag. adesp. fragm. 458, 9, apud Stob. flor. 74, 27: *διασφάλισμα.* Or. 1295: *σκοπεύειν.*

quod verbum pertinet ad illa: *πότερος ἄρα πότερον αἱμάξει*, et optimum praebet sensum. Vid. Iph. Aul. 1364. Fortasse quis putaverit, melius etiam esse, verbum *μιαιφονῶν* adjectivum cum praecedente conjungere, quum adjectivum saepius inveniatur. Literae facile potuerunt permutari:

ΔΙΑΙΜΑΤΩΝ
ΜΙΑΙΦΟΝΩΝ

II.

Hecub. v. 96.

Omnes libri manu scripti consentiunt in verbis ita scribendis:

ἀπ' ἐμᾶς οὖν ἀπ' ἐμᾶς τόδε παιδός
πέμψατε δαίμονες, ἱκετεύω

quorum versuum priorem Hartungus sic emendaverat:

ἀπ' ἐμᾶς, ἀπ' ἐμᾶς οὖν τόδε παιδός.

Jam vero Nauckius utrumque versum corruptum esse contendit, dicens, unum caesura carere, alterum legibus rhythmicis prorsus esse destitutum. Orationem multo futuram esse meliorem et elegantiorem, si Hecuba his verbis: *ἀπ' ἐμᾶς, ἀπ' ἐμᾶς τόδε παιδός* finem faceret. Diligentius igitur re considerata non possum quin confitear, me cum viro doctissimo non consentire. Sunt autem causae ejusmodi, ut paullo accuratius explicentur necesse sit.

Habemus hoc loco exemplum, quod haud raro in antiqua tragoedia invenitur anapaestorum, quibus quaestus ac lamentationes exprimuntur, et qui liberiores nominantur, quum, id quod in carminibus lugubribus semper fit, non tam certis regulis circumscripti sint, sed majore licentia compositi, quam qui legitimi dicuntur *). Quibus systematis liberioribus jam Aeschylus utitur, deinde Sophocles, maxime autem Euripides

---

*) Hanc monodiam Hermannus ejusmodi esse contendit, in qua anapaesti liberiores cum legitimis mixti sint. Utut est, nostros versus prioris generis esse constat. V. Elem. d. m. p. 381. epit. d. m. p. 145. 146. De legitimorum systematum legibus vid. Pors. ad Eur. Hecub. praef. p. 45 sq. Gaisford. ad Hephaestion. p. 279 sqq.

idemque ita, ut in monodiis saepius ea usurpet, quam metra dactylica et jambo-trochaïca; quae quum poeta ad majorem animi vigorem et alacritatem exprimendam adhibeat, illis anapaestis in describendo tristi animi statu atque gravi utitur. Neque vero omittendum, id quod Hermannus monuit, *a legitimis anapaestis tam tenui discrimine transiri ad liberiores formas, interdum ut anceps sit dijudicatio.* Totum igitur nostrum anapaestorum locum tribus constare partibus videmus: 1. monodia Hecubae a versu 59 usque ad v. 97; 2. monodia feminae chorum ducentis a versu 97 usque ad v. 153; 3. carmine quod dicunt amoebaeum usque ad v. 215, in quo versus liberiore etiam modo compositi sunt propterea, quod animi majore motu affecti oratione acriore et fervidiore utuntur. Omnino animadvertendum est, totum locum multiplici compositum esse ratione, de qua hic copiosius non est disputandum. Jam quaeritur, quanam re liberioris generis anapaesti a legitimis differant, nam ex hac quaestione omnia pendent.

Differunt primum mensura, nam non solum versus proceleusmatici, sed etiam dactylici, *iidemque saepius cum anapaestis conjuncti* omnibus locis nec non in paroemiaco inveniuntur, in quo praeterea, ut non raro aliis quoque locis, saepissime spondei adhibentur. Cf. locos: Aesch. Pers. 972: *τάδε σ᾽ ἐπανέρομαι* | 385: *ἔλιπες, ἔλιπες ὦ.* | Eurip. Hecub. 62: *λάβετε, φέρετε, πέμπετ᾽, ἀείρετέ μου* | quibus igitur adnumerandi sunt versus illi a Nauckio tentati, Hecub. 97: *πέμψατε δαίμονες, ἱκετεύω,* cujus versus pars prior duos continet dactylos, altera in paroemiacum desinit, et ibid. v. 145: *ἴζ᾽ Ἀγαμέμνονος ἱκέτις γονάτων,* quem Nauckius emendare conatus est. Quamquam enim negari non potest, metrum hoc versu facili modo posse mutari scribendo:

Ἀγαμέμνονος ἴζ᾽ ἱκέτις γονάτων

sive: *ἴζ᾽ Ἀγαμέμνονος ἱκτὴρ γονάτων*

tamen hoc non est faciendum, quum nulla mutandi causa sit. Accedit quod libri in verbis scribendis nihil discrepant. Adde etiam ejusd. trag. v. 208:

σᾶς ἄπο λαιμότομόν τ᾽ Ἀίδᾳ |

Hipp. 1365: *πάντας ὑπερέχων* *) | Iph. Aul. 1322: *ὤφελεν ἐλάταν πομπαίαν* | Iph. T. 215: *ψαμάθων Αὐλίδος ἐπιβᾶσαν* | ibid. v. 231: *σύγγονον ὃν ἔλιπον ἐπιμαστίδιον* | Jon. 149: *δῖναι νοτερὸν ὕδωρ βάλλων* | Troad. 101: *μεταβαλλομένου δαίμονος ἀνέχου* | ibid. 123: *Ἴλιον ἱερὸν αἱ κώπαις* | ibid. 177: *τάσδ᾽ Ἀγαμέμνονος ἐπακουσομένα* | ibid. 194: *τὰν παρὰ προθύροις φυλακὰν κατέχουσ᾽.* | Commemorandus etiam est v. 175, quem Nauckius conjecturis tentavit. Metri enim causa se antea suspicatum esse dicit V. D., omittenda esse verba *οἴαν οἴαν* **) et signum vocativi *ὦ*, nunc autem se putare aliam ingrediendam esse viam:

ἄιε ματέρος
αὐδὰν, τέκνον, ὡς αἰω φάμαν
περὶ σᾶς ψυχᾶς.

Sed nulla mutandi causa est, nam metrum tantum abest ut reprehendendum sit, ut optime loco conveniat. Spondei systematis liberioribus saepissime adhibentur, ut non operae videatur pretium esse, multos locos afferre. Hoc ipso nostro systemate inveniuntur v. 179. 184. 185. 190. 195. 196. 200. 204. 205. etc. Quod cod. A verba *οἴαν οἴαν* tantum margini adscripta exhibet, dubito sitne tanti momenti, ut ad mutandum nos commoveat.

Differunt porro illi anapesti liberiores a legitimis caesura, quae saepius negligitur, ut ipso nostro versu:

ἀπ᾽ ἐμᾶς οὖν, ἀπ᾽ ἐμᾶς τόδε παιδός ***)

quare hic quoque non in suspicionem vocandus est. Deinde eo differunt quod hiatus et arsis anceps †) in fine dipodiae locum habere possunt, id quod in anapaestis legitimis fieri

---

*) ubi alii *ὑπερσχών* scribi volunt.

**) Vid. C. Schenkl, l. l. p. 841.

***) Rossbach et Westphal, gr. Metr. in hoc versu caesuram esse dicunt, scribentes:

ἀπ᾽ ἐμᾶς οὖν ἀπ᾽ ἐ | μᾶς τόδε παιδός

†) Itaque non sequor Porsonum in v. 160 scribentem *γενεά* pro *γέννα*. Vid. Herm. ad h. l. cf. Ion 167. Iph. T. 125. 154. 231. hiatus admissus est Ion 175. 886. 911.

non potest. Denique eo, quod paroemiacus non solum systema quoddam concludit, sed quod hic versus etiam aliis locis usurpatur, et quod interdum loco paroemiaci dimeter acatalectus invenitur *).

Sed haec hactenus; quibus omnibus, quamvis brevissime sint disputata, causas, propter quas Nauckius de tribus illis versibus dubitationes moverit, non solum leves, sed nullas esse, satis demonstrasse mihi videor.

Ibid. vv. 332. 33,
qui secundum libros sic scribuntur:

αἰαῖ· τὸ δοῦλον ὡς κακὸν πεφυκέναι
τολμᾷ θ' ἃ μὴ χρὴ, τῇ βίᾳ νικώμενον **)

quae scribendi ratio a paucissimis hominibus doctis, quorum est Hermannus, probatur.

Τολμᾷ θ' omnes codices et editiones veteres exhibent; *πεφυκέναι* [AB] E. F (sed in hoc correctum *πέφυκ' ἀεί* a. m. s) bc (adscripto tamen pro v. l. *πέφυκ' ἀεί*) *C* cum Eumathio VIII, p. 301; *πέφυκ' ἀεί* Stob. flor. LXII, 25, II, p. 392.

---

*) Reliquae monodiae, quae apud Eurip. inveniuntur simili modo compositae sunt hae: Alc. 77—135. Hipp. 1347—88. Ion 144—183, ibid. 859—922. Iph. T. 123—235. Iph. Aul. 1320—1335. ibid. prol. 117—164. Vid. Rossb. et Westph. l. l. p. 115 sqq.

**) Hic versus affertur a F. Osanno anal. crit. c. VII., qui quum Ennii Hecubam cum graeca Euripidis fabula illo loco comparet, dicit, se conjecturam facere de duplici graecae fabulae recensione, quarum alterutra Ennius usus sit, quum permulta Hecubae fragmenta exstent, quae nulli graecae Euripidis tragoediae loco respondeant. Hanc igitur duplicem fabulae recensionem nonnullis locis ex Euripide desumptis demonstrare studet. Sic etiam nostro loco ex eo quod pro *νικώμενον* apud Stobaeum LXII. p. 237 et in altero Harlejano legatur *κρατούμενον* duplicem fuisse recensionem apparere contendit, quarum una *νικώμενον*, altera *κρατούμενον* exhibuerit. Idem de versu 378, qui postea tractabitur, statuendum esse arbitratur, quum apud Stobaeum Grotii p. 133 legatur pro *ζῆν μὴ καλῶς ζῆν ἐν κακοῖς*. Utut vero res de duplici recensione se habet, mea opinione Osannus hanc rem ex unaquaque parva lectionis varietate apparere ratus, nimium vidit. Idem etiam de Medea fabula statuit vir doctus. Cf. F. G. Welcker, „die griech. Tragg. mit Rücksicht auf den epischen Kyklos geordnet“ p. 1377.

Schol.: *γράφεται καὶ πέφυκ' ἀεί.* Alius: *τὸ γενέσθαι τινὰ δοῦλον λίαν κακόν ἐστιν. ὑπομένει γὰρ, ἃ μὴ πρέπει, ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος ὑπὸ τῆς ἀνάγκης νικώμενος.*

Hermannus igitur, qui codices secutus est, in editione sua dicit, non esse construendum: *ὡς κακὸν τὸ δοῦλον πεφυκέναι*, quo facto *τὸ δοῦλον* accusativus esset; sed esse nominativum *τὸ δοῦλον*, cui adjectum sit *πεφυκέναι* intellecto *δοῦλον*. Ita recte se habere et *τολμᾷ* et *νικώμενον*. Deinde sic verba explicat: „Servitium quam malum est, si vivendum est in eo suffertque indigna, necessitate coactum“, ad quam explicandi rationem vir summus adductus est illis scholiastae verbis: *ὥστε εἰς ὕπαρξιν ἐλθεῖν*. Sed quominus ita verba intelligantur plures prohibent causae. Primum enim conjunctio illa verborum „servitium quam malum, si vivendum est in eo“ durissima nimisque quaesita mihi videtur esse, qua probata poetam tam obscure scripsisse putaremus, ut quid vellet dicere vix intelligeremus. Neque minus omnino verba illa „si vivendum est in eo“ absurda sunt, quum hoc, quoniam sine servis nullum posset servitium cogitari, per se intelligatur. Denique non bene dicitur „servitium perfert, quae ei non perferenda sunt“, pro „servus perfert“ etc., neque magis apte haec verba cum prioribus conjunguntur. Jam omissis aliis hominum doctorum sententiis videamus, quomodo Nauckius scribi velit. Is in Stud. eurip. sic locum emendavit:

αἰαῖ· τὸ δοῦλον ὡς κακὸν πέφυκ' ἀεί
τολμᾶν ἃ μὴ χρὴ, τῇ βίᾳ νικώμενον

hac addita explicatione: „Wie fehlt es doch immer den durch die Obmacht ihrer Unterdrücker niedergehaltenen Sclaven an Muth, zu wagen, was ihnen nicht zusteht.“ Sed hoc sensui quam maxime repugnat, quum certissime constet, Euripidem hanc sententiam dicere voluisse et debuisse, servitutem magnam esse calamitatem, quam sententiam conditio Hecubae flagitat, quum Nauckii verba nequaquam ei sint accommodata *). Dolet enim chorus sortem Hecubae, quum Nauckii

---

*) De Nauckii sententia rejicienda consentientem mecum video C.

sententia mulierem miserrimam vituperet. Quae quum ita sint, apparet, verbum *τολμᾶν* hoc loco non posse significare quod Latini dicunt „audere“, sed idem esse quod *τλῆναι*, sufferre, tolerare.

Simplicissimam autem verborum scribendorum rationem hanc esse puto:

αἰαῖ· τὸ δοῦλον ὡς κακὸν πεκυφέναι
τολμᾶν ϑ' ἃ μὴ χρὴ, τῇ βίᾳ νικώμενον,

quamvis Dindorfius dicat, ineptum esse infinitivum. Quod Nauckius affert, durum fieri hyperbaton, minimi esse momenti arbitror omuinoque a V. D. allatum ad sententiam suam confirmandam. Eadem fortasse causa neglexit Or. v. 480:

ἔα· τὸ μέλλον ὡς κακὸν τὸ μὴ εἰδέναι

quem neque in Stud. eurip., neque in editione sua in suspicionem vocavit. Vid. etiam Alc. v. 876. Infinitivus hic jam propterea retinendus est, quod optimi et plurimi libri eum exhibent, quibus, siquidem verba bene et facile explicantur, scholiastae et grammatici postponendi sunt. Deinde verba *τὸ δοῦλον ἀεὶ κακὸν πέφυκε* ambiguitatem quandam continent, id quod etiam ipse Nauckius monuit, et praeterea per se intelligitur, servitutem non tempore quodam, sed semper calamitatem esse.

Accedit denique, quod, ut Matthiae et Hermannus rectissime dixerunt, lectio *πέφυκ' ἀεί* non tam facile corrumpi potuit in *πεφυκέναι* quam vice versa. Verbum *πέφυκα* concedo Nauckio proprie significare: „natus sum“, „natura sum“, sed multo usu hanc significationem ita debilitatam esse arbitror, ut *πέφυκα* interdum paene idem sit quod „sum“. Vid. Eurip. fragm. Er. 62. v. 27 (Nauck): *ἀλλ' ἔμοιγ' ἔστω τέκνα, ἃ καὶ μάχοιντο καὶ μετ' ἀνδράσιν πρέποι, μὴ σχήματ' ἄλλως ἐν πόλει πεφυκότα.* Quod si minus placet,

---

Schenkl, l. l. p. 828. Sed ne is quidem, quum scribat *πέφυκ' ἀεί* atque sic locum vertat: „wie ist doch das Sclavenvolk immer feige und duldet, was sich nicht gebührt, durch Obmacht unterjocht“, mea opinione rectum invenit. Nam minime chorus de *ignavia* servorum sed de *servitii calamitate* hic loquitur.

dici potest, chorum de servitutis calamitate omnino loqui, Hecubae conditionis ratione habita. Denique si pro librorum *τολμᾷ* scripsi *τολμᾶν* haec vix unquam mutatio poterit appellari, quum litera *ν* in fine verbi saepissime parva linea notata sit, e quo usu plurima menda orta sunt *).

Ibid. v. 375 sqq.

ὅστις γὰρ οὐκ εἴωθε γεύεσθαι κακῶν,
φέρει μὲν, ἀλγεῖ δ' αὐχέν' ἐντιθεὶς ζυγῷ,
θανὼν δ' ἂν εἴη μᾶλλον εὐτυχέστερος
ἢ ζῶν· τὸ γὰρ ζῆν μὴ καλῶς μέγας πόνος.

Quamvis nunquam negligendum sit, in Euripidis tragoediis multa inesse, quae ab histrionibus vel grammaticis addita sunt, tamen hac ipsa re apparet, ejiciendi mutandique libidini permagnam datam esse opportunitatem maximaque opus esse diligentia. Sic etiam nostro loco cum Nauckio non consentio dicente, ultimum horum versuum tanquam pessimum ejiciendum esse. Existimat vir doctissimus, pro *ζῆν μὴ καλῶς* dicendum fuisse *δυστυχῶς ζῆν*, sententiam autem ipsam ineptissimam maximeque languidam esse **).

---

*) Vid. Porson. ad h. l. Cobet. Mnemos. III, 161. 170. 172. 291. IV, 267. 275. 310. V, 82. 89. 99. VI, 19. 53. 192. 417 et al. Sic in Eurip. Troad. v. 98 apud Kirchh. legitur:

ἄνα δύσδαιμον πεδόθεν κεφαλά
ἐπάειρε δέρην· οὐκέτι Τροία κ. τ. λ.

ubi recte Nauckius dicit, vocativum ineptum esse, quare restituit cum codd. *AB*, quibus in hac fabula magna tribuenda est auctoritas: *κεφαλήν*. Error facile explicatur scriptura: *ΚΕΦΑΛΗ̄*. Vid. F. J. Bastium, comm. palaeogr. ap. Schaef. in ed. Greg. Cor. p. 747. Interdum etiam illa lineola indicat, verbum, cui adscripta est, nomen proprium esse, quibus locis saepe confusa est cum compendio illo literae *ν*. Cobet. Mnemos. VII. pag. 43 sqq.

**) Seyffertus l. l. p. 48 quamquam non putat, versum esse ejiciendum, tamen Nauckio assentitur dicenti, verba illa ineptissima esse, quare scribere proponit:

τὸ γὰρ ζῆν μὴ εὐκόλως μέγας πόνος·

Sed primum illud genus elisionis exemplis ex Euripidis tragoediis desumptis haud facile poterit comprobari, nam unus versus quem Seyffertus teste Kruegero (gr. II, § 13. A, 6.) attulit, a Nauckio spurius habe-

Quid multa? Minime id poterit demonstrari; mihi quidem de sensu cogitanti nulla versus ejiciendi causa in mentem venit, quo ejecto sententia non plane esset absoluta, id quod re accuratius considerata patebit. Stobaeus quoque hunc versum legit (flor. XXX, 3. CXXI, 1, 20). Quid autem Polyxena verbis illis *ζῆν μὴ καλῶς* dicere voluerit, satis intelligitur versibus 349 sqq. comparatis:

τί γάρ με δεῖ ζῆν; ᾗ πατὴρ μὲν ἦν ἄναξ
Φρυγῶν ἁπάντων κ. τ. λ.

nec non comparatis illis 372 sqq.:

μῆτερ σὺ δ' ἡμῖν μηδὲν ἐμποδὼν γένῃ
λέγουσα μηδὲ δρῶσα· συμβούλου δέ μοι
θανεῖν πρὶν αἰσχρῶν μὴ κατ' ἀξίαν τυχεῖν.

Apparet igitur, Euripidi non, ut Nauckius vult, dicendum fuisse *δυστυχῶς ζῆν*, quoniam hoc loco non tam agitur de calamitate omnino, quam de turpitudine serviendi, sed *μὴ καλῶς*, quod idem est atque *αἰσχρῶς*, satis apte dictum esse. Cf. Troad. 637: *τοῦ ζῆν δὲ λυπρῶς κρεῖσσόν ἐστι κατθανεῖν*. Polyxena mortem obire quam, e tanta felicitate ejecta, vitam turpissimam et indignissimam degere mavult *).

Ibid. v. 419.

οἴμοι, τί δράσω; ποῖ τελευτήσω βίον;

ubi non magis cum Nauckio consentio, qui contra omnem codicum auctoritatem pro *βίον* scribi vult *τάδε*. Si enim, dicit, poeta *βίον* scripsisset, Hecubam mortem quam maxime optare censendum esse, id quod exprimendum fuisset voce *πῇ*, neque vero voce *ποῖ*. *τελευτᾶν βίον* prorsus idem esse atque mori **). Hecubam non de morte cogitare concedo, nam id ipsum apparere videtur e versu qui praecedit:

ὦ θύγατερ, ἡμεῖς δ' ἐν φάει δουλεύσομεν

---

tur; deinde vero *εὐκόλως* non est verbum Euripideum. Si omnino mutandi causam adesse putarem, id quod non puto, illaque dicendi ratio esset probanda, scriberem equidem *μὴ εὐμάρως*, quod verbum idem atque *εὐκόλως* significat et sexies, ni fallor, apud Euripidem reperitur.

*) Vid. C. Schenkl, l. l. p. 829.

**) Verba *ποῖ τελευτήσω βίον* bene explicari non posse, cum Nauckio consentit C. Schenkl, l. l. p. 841 sq., qui scribi vult: *πῇ τελευτήσω βίον*.

sed haec sententia ne inest quidem verbis *ποῖ τελευτήσω βίον*. Potest *τελευτᾶν βίον* simpliciter significare mori, id quod vero non impedit, quin hoc loco e proprio et principali, ut ita dicam, usu explicemus: „vitam finire.“ Dicit igitur Hecuba: quorsum vitam meam finiam, i. e. quorsum vitam perducam, sive, quod Nauckius vult: „quomodo haec omnia finiam.“ Si revera poeta *τάδε* scripsisset, nulla excogitari posset causa, cur hominem quendam hoc mutavisse in *τελευτήσω βίον* crederemus. Denique nullam mutandi esse causam videbimus collato versu qui reperitur in Troad. (1029):

Μενέλα', ἵν' εἰδῇς, οἷ τελευτήσω λόγον

(ut scias, ad quemnam finem orationem meam perducam), qui prorsus eodem modo comparatus est. Nam etiam hic Nauckii sententia scribendum esset *ᾗ* pro *οἷ*. Cf. etiam Aesch. Pers. 735: *πῶς τε δὴ καὶ ποῖ τελευτᾶν*, ubi propter antecedens *πῶς* *πῇ* locum habere non potest.

Orest. v. 696.

ὅταν γὰρ ἡβᾷ δῆμος εἰς ὀργὴν πεσών,
ὅμοιον ὥστε πῦρ κατασβέσαι λάβρον.

Horum versuum priorem ineptum esse Nauckius dicit: etenim nullo modo Menelaum ab Oreste postulare posse, ut opperiatur, donec populus tunc juvenilis „*senex et canus factus sit.*“ Populum Argivorum, quantum sciat, e junioribus et senioribus constare, pluribusque aetatibus intermissis discrimen illud rursus plane idem esse, quare de populo vox *ἡβᾶν* nullo modo dici possit. Sed magnopere equidem vereor, ne haec jocosius quam verius sint disputata. Correxit V. D.

ὅταν γὰρ ἡβᾷ θυμὸς εἰς ὀργὴν πεσών

(h. e. „wenn die zornige Leidenschaft noch jung ist“). De significatione tralata verbi *θυμός* relegat ad Eurip. Alc. v. 1085. Sosiphan. trag. fr. II, p. 638 apud Stobaeum flor. XX. 18:

νῦν σοι πρὸς ὄψιν θυμὸς ἡβάτο, γέρον

denique affert ejusd. Stob. flor. XLVI, 5:

ὅταν γὰρ ὀργῇ δῆμος εἰς θυμὸν πεσών,

quem versum dicit corruptum esse.

Nec tamen his exemplis sententia V. D. confirmatur,

nam prioribus duobus locis demonstratum est, verbum *θυμός* omnino illa significatione usurpari posse, ultimo vero loco, quem corruptum esse concedo, demonstratum esse eodem jure contendi potest, Stobaeum ita versum legisse statuendum esse, ut nunc in libris legitur. Quid, nonne aptius est dicere, hoc loco populum juvenili quodam fervescentem ardore finxisse poetam, quo majorem adderet vim orationi? Neque enim de *populo juvenili* dicitur, sed de populo, qui tanquam juveniliter exsultat, non, quod Klotzius putat, quum seditio nondum ad culmen pervenerit, sed quum pupulus incitatus aeque atque juvenis iratus haud facile placetur. Non quidem ignoro, insolentius loqui poetam, verum tamen sine ulla ambiguitate bene sic loqui poterat. Haec de verborum significatione; sed est etiam aliud argumentum e sententiarum ordine petitum, e quo *δῆμος* legendum esse apparet. Paullo antea Menelaus dixerat:

μάχῃ μὲν οὖν ἂν οὐχ ὑπερβαλοίμεθα
Πελασγὸν Ἄργος· εἰ δὲ μαλθακοῖς λόγοις
δυναίμεθ᾽ κ. τ. λ., nec non in iis quae sequuntur semper de populo dicitur: *ἢν δ᾽ ἀνῇ πνοάς, τύχοις ἂν αὐτοῦ ῥᾳδίως ὅσον θέλεις.* Maxime autem haec verba sententiae Nauckii repugnant:

ἔνεστι δ᾽ οἶκτος, ἔνι δὲ καὶ θυμὸς μέγας
καραδοκοῦντι κτῆμα τιμιώτατον,

neque enim *θυμῷ ἔνεστι θυμός* Euripides dixerit, sed *δήμῳ ἔνεστι θυμός.*

III.

Hecub. v. 799 sqq.

Hos igitur versus affero, ut ostendam, Nauckium verum non invenisse, quamquam concedo, locum esse corruptum, id quod ante eum nemo videtur animadvertisse.

Hecuba, quae, Troja deleta, in maximam detrusa calamitatem denique eo usque doloris et miseriae pervenerat, ut Polydorum, quem unum familiae solatium et auxilium remansisse putabat, a Polymestore, impio thracio hospite interfectum esse audire deberet, summis precibus Agamemnonem oravit, ut filii sui ultorem se praeberet.

ἡμεῖς μὲν οὖν δοῦλοί τε κἀσθενεῖς ἴσως·
ἀλλ᾽ οἱ θεοὶ σθένουσι χὠ κείνων κρατῶν
νόμος· νόμῳ γὰρ τοὺς θεοὺς ἡγούμεθα,
καὶ ζῶμεν ἄδικα καὶ δίκαι᾽ ὡρισμένοι·
ὃς εἰς σ᾽ ἀνελθὼν κ. τ. λ.

quorum versuum Nauckius octingentesimum primum et sequentem removendos esse contendit *). Illa verba *νόμῳ γὰρ κ. τ. λ.* non bene posse intelligi, quippe quae neque cum prioribus, neque cum iis quae sequantur, conciliari possint, verissimum est. Praeterea exspectamus, ut Euripides, si voluisset exprimere „Deos esse credimus", dicturus fuisset *θεοὺς ἡγούμεθα,* non autem *τοὺς θεοὺς ἡγούμεθα* (vid. Bacch. 1327. Electr. 583), quamquam Hermannus dicit, *τοὺς θεοὺς* esse

*) Assentitur Nauckio C. Schenkl, l. l. p. 833, scribendum autem esse dicit *χὠ κείνων νόμος,* quod sine dubio rejiciendum erit, quum hoc loco non intelligatur quid sibi velit *deorum lex.*

eos deos, quos credamus, ad quam sententiam confirmandam affert illa Sophoclis verba, quae reperiuntur in Antigona:

ἥδ' ἐστὶν ἡ σώζουσα, καὶ ταίτης ἔπι
πλέοντες ὀρθῆς τοὺς φίλους ποιούμεθα,

quod exemplum omnino tantum posset conferri, si Euripidis verba significarent: „deos esse credimus", id quod nullo modo fieri hoc loco potest. Nam haec sententia necessario hic requiritur: „dii potentes sunt et quae illis potentior etiam est lex (necessitas), nam legi cuidam non minus deos obnoxios esse credimus, quam nos etiam certis legibus constitutis vivimus" *).

Jam vero ex hac explicatione apparet, Nauckium non recte facere conjungentem verba *ἄδικα καὶ δίκαια* cum *ζῶμεν*, conjungenda enim sunt cum verbo *ὡρισμένοι*. Quae igitur ita si mecum statueris, non cum Nauckio illos versus ejiciente consenties, sed id tantum dicendum esse arbitraberis, post versum illum:

νόμῳ γὰρ τοὺς θεοὺς ἡγούμεθα

alium excidisse, ejusmodi fere sententiam continentem: (*θεοὺς νόμῳ*) *ὑπηκόους εἶναι*, vel similia quaedam, quo facto omnia bene explicantur **).

---

*) Non recte igitur Lübker (Beitrr. zur Theologie u. Ethik des Eurip. p. 6) hunc locum interpretatus est vertens: „Denn durch das Gesetz erkennen wir die Götter und werden befähigt, das Gerechte vom Ungerechten zu unterscheiden."

**) De sententia Nauckii rejicienda mecum consentit H. Hirzelius l. l. p. 53, qui tamen aliam explicandi et emendandi viam ingressus est. Dicit enim: „Jam igitur singula verba tametsi emendare non possum, tamen emendandi viam mihi videor monstrare posse." Deinde proponit:

ἀλλ' οἱ θεοὶ σθένουσι χὡ κείνων κρατῶν
νόμος· νόμῳ γὰρ τοὺς θεοὺς ἡγούμεθα
ἄρχειν, ἐς ἄδικα καὶ δίκαι' ὡρισμένῳ (sc. *νόμῳ*)

Numerorum autem rationes, pergit, aliam litem dirimi, versus 793–97 cum Matthiaeo, Dindorfio, Nauckio explodi jubentes. Esse enim tria senorum versuum membra insignite distincta: 787—92 = 798 — 802 + 805 = 806 — 811. Itaque v. 803—4 ad explicandum v. 802 adscriptos et ab hoc loco alienos esse cum Nauckio consentit mihique persuasit. Ceterum omnino etiamnunc dubito numerorum rationibus

Jam redeamus ad Nauckii sententiam, quam ferri non posse contendi. Dicit V. D., Euripidem non legem (necessitatem), sed Jovem deos moderantem significare voluisse. Hoc autem quod nostro loco nullo modo fieri potest, omnino a Nauckio dictum esse puto ad sententiam suam confirmandam. Primum enim saepissime apud veteres haec sententia invenitur, necessitati, supremae cuidam legi deos etiam obnoxios esse *), v. Aesch. Prom. 514 sqq. Herod. III, 38: *καὶ ὀρθῶς μοι δοκέει Πίνδαρος ποιῆσαι νόμον πάντων βασιλέα φήσας εἶναι.* Plat. Protog. p. 337 D. Böckh. ad Pind. II, 2 p. 640, e. m. a. Deinde vero Nauckii sententia rejicienda est, quoniam, si Euripides dixisset: „dii potentes sunt et qui eos regit Jupiter" idem dixisset per idem, quum Jupiter etiam deus sit. Denique autem hos versus nego posse conjungi:

ἀλλ' οἱ θεοὶ σθένουσι χὡ κείνων κρατῶν·
ὃς εἰς σ' ἀνελθὼν εἰ διαφθαρήσεται
κ. τ. λ.

quia dici nequit *τὸν Ζῆνα διαφθαρῆναι*, id quod bene dicitur de legibus. Vid. Eurip. Suppl. 561:

οὐ γάρ ποτ' εἰς Ἕλληνας ἐξοισθήσεται,
ὡς εἰς ἔμ' ἐλθὼν καὶ πόλιν Πανδίονος
νόμος παλαιὸς δαιμόνων διεφθάρη.

Nauckius, qui id videtur animadvertisse, sic verba reddidit: „Die Götter sind stark und ihr Beherrscher (Zeus); *wenn dessen Geltung*" etc.

Hippol. 30 sqq.

In prologo Venus narrat, Phaedram, Thesei uxorem, amore vehementissimo captam fuisse Hippolyti privigni, qui ad

---

tantam tribuere auctoritatem, quamquam minime Hirzelii libelli diligentissime sane compositi laudem imminuere in animo est. Cf. etiam de hoc loco Seyffertum (l. l. p. 49) disserentem. De stichomythia qualis sit apud Euripidem scripsit Kvíčala in diurn. gymn. austr. 1858 p. 609 – 625. V. etiam H. Sauppium ep. crit. p. 116. Apud Aeschylum huic rei operam navaverunt H. Weilius, Ritschelius, Dindorfius, contra quos Heimsoethus.

*) Cf. Lübker, l. l. p. 27. De tota hac quaestione vid. etiam Naegelsbach. „die nachhomerische Theologie" p. 80 sqq.

mysteria celebranda Troezene Athenas profectus erat. Hippolyto autem Troezena reverso Phaedram in rupe Minervae Troezeni ipsi adverso templum Veneris aedificasse. Versus in libris sic leguntur:

καὶ πρὶν μὲν ἐλθεῖν τήνδε γῆν Τροιζηνίαν,
πέτραν παρ᾽ αὐτὴν Παλλάδος κατόψιον
γῆς τῆσδε, ναὸν Κύπριδος ἐγκαθεισατο,
ἐρῶσ᾽ ἔρωτ᾽ ἔκδηλον· Ἱππολύτῳ δ᾽ ἐπι
τὸ λοιπὸν ὠνόμαζεν ἱδρύσθαι θεάν

nisi quod alii *ἐγκαθίσατο* (A B d *B*, Ald.), *ἐγκαθίστατο* (b c) et pro *ἔκδηλον* (A B C b c d) *B C ἔκδημιον* exhibent.

Etiamsi Nauckius a. h. l. argumentis satis idoneis demonstrasse mihi videtur, non esse legendum *ἐγκαθεισατο*, non tamen crediderim, praepositionem *ἐν* delendam esse. Dicit enim V. D., praepositionem illam non pertinere posse nisi ad verba *γῆς τῆσδε*, id quod sensui repugnet. Sine dubio id esset absurdum, nam constat, hoc loco templum in rupe Minervae, non autem in regione Troezenia commemorari *), quae res tam perspicue ex ipso nostro loco apparet, ut ne opus quidem sit, argumentis e Diodoro et schol. petitis eam demonstrare. Attamen haec praepositionis ejiciendae causa nequaquam esse potest, nam minime pertinet illa ad verba *γῆς τῆσδε*, quae assumpto vocabulo *κατόψιον* cum iis: *πέτραν παρ᾽ αὐτὴν Παλλάδος* conjungenda sunt **), quibuscum, ut ita dicam, unam formant notionem, sed referenda est ad illa ipsa verba: *πέτραν παρ᾽ αὐτὴν Παλλάδος*, qua conjungendi ratione perspecta aptissime eam esse a poeta additam videbimus.

Euripidem quidem saepius verbum *καθίζειν* usurpare notum est, v. Heracl. 664. Jon. 6. 366. 1317. 1541. Herc. fur.

---

*) Nam quod Pausan. II. 32, 3 Troezene templum *Ἀφροδίτης κατασκοπίας* fuisse narrat, ad nostrum locum intelligendum et explicandum nihil facit, ut rectissime etiam monuit Nauckius.

**) Haec est sine dubio recta verborum conjungendorum ratio, quamquam alii verba *κατόψιον γῆς τῆσδε* ad *ναόν* referri volunt. Vid. Diod. IV. 62. Sic recte etiam schol. explicat: *ἐπὶ πέτρας ἐφ᾽ ἧς [ἦν] ἀποβλέπεσθαι τὴν Τροιζῆνα.* Deinde sic etiam Meursio (Thes. c. 21.) praeeunte Reiskius et Heathius. Vid. Valcken. ad h. l.

18. Or. 956. El. 980. sed nusquam inveni *καθίζεσθαι*, quare dubito, verbum compositum *ἐγκαθίσατο*, quod sensui aptum est, mutare. Similiter *ἐγκαθιδρύειν* semel tantum dicitur Iph. T. 978, quod verbum illo loco mutari non potest.

Sed nondum res ad finem perducta est, nam offendunt me aliae difficultates. Valckenaerius enim, qui hunc locum accuratissime tractavit nec non sicut saepissime, immensa doctrinae copia obruit lectorem, sic scribi vult:

καὶ πρὶν μὲν ἐλθεῖν τήνδε γῆν Τροιζηνίαν,
πέτραν παρ᾽ αὐτὴν Παλλάδος κατόψιον
γῆς τῆσδε, ναῷ Κύπριδος ἐγκαθεισατο
ἐρῶσ᾽ Ἔρωτ᾽ ἔκδημον. Ἱππολύτῳ δ᾽ ἔπι
τὸ λοιπὸν ὑμνήσουσιν ἱδρύσθαι θεόν.

„et ante quidem quam in hancce regionem venerit Troezeniam, ad ipsam rupem Palladis, quae hanc terram despectat, in templo Veneris dedicavit amans Amorem absentem: in posterum autem perhibebunt, deum illic (sive Cupidinis signum) in honorem Hippolyti fuisse collocatum", quae explicandi ratio utrum possit ferri necne, satis facile erit dijudicatu. V. Cl. ipse dicit: „Non sane nego, templum *Veneri* statuisse Phaedram, sed Euripidis phrasin postulare tantum arbitror Cupidinem in templo dedicatum." Quod quamvis a Graecorum consuetudine non videatur abhorrere, sicut e loco, quem Valcken. ex anthol. IV. 12, ep. 52 affert:

ἐρῶντας
δῶρον Ἔρωτι φέρειν αὐτὸν Ἔρωτα θέμις

apparet (v. Cic. in Verr. II. 47.), hoc tamen loco non probandum est. Cogitemus necesse est de *templo* condito, ut etiam a veteribus traditur, id quod multo aptius amoreque Phaedrae dignius est. Praeterea vero Valckenaerii sententia probata, oratio ut sic potius procederet, exspectaremus: „In templo, quod situm erat in rupe, amans amorem absentem dedicavit", non autem „ad rupem Palladis regioni Troezeniae contrariam in templo" etc. Minime vero mutatio ultimi versus probari poterit.

Hartungus versu 33 ejecto scribit *Ἱππολύτῳ τ᾽ ἔπι*, quae verba conjungenda esse dicit cum illo *ἐγκαθίσατο*, qua expli-

candi ratione accepta esset vertendum: „Phaedra in rupe Minervae templum Veneris aedificavit et in honorem Hippolyti“, quae poeta haud facile scripserit. Hartungus ipse sua verba nostro sermone sic reddidit: „(Phaedra erbaut) eine Liebeshütte dort ob ihrer Sehnsucht nach dem fernen Hippolyt“, ubi particula *τε* prorsus neglecta est.

Jam verba *ἔρωτα ἔκδημον* (sic enim pro librorum *ἔκδηλον* scribendum erit) sive conjungamus cum *ἐγκαθίσατο*, sive ea dicamus pertinere ad *ἐρῶσα* nullo modo apte explicari possunt. Nam *amorem absentem amare* mihi satis videtur absurde dictum esse, neque ullo simili exemplo posse confirmari*).

An fortasse *Ἔρωτα* hoc loco nomen esse proprium statuendum erit? Ne id quidem fieri potest, nam Phaedra *Hippolytum* amat, non *deum amoris*, cui potius fortasse succensebit. Neque magis verba quae deinde sequuntur, verti possunt et explicari. Quod enim Athenienses templum illud *Ἱππολύτειον* postea nominabant (*τὸ νῦν Ἱππολύτειον καλού-*

---

*) Scholiasta quidam verba *ἐρῶσ' ἔρωτ' ἔκδημον* explicat: *καὶ μὴ παρόντος ἐρῶσα τοῦ Ἱππολύτου*, quae quidem explicatio sensui conveniret, neque vero e graecis verbis ullo modo intelligitur, quum *amor* non eum unquam possit significare, *quem quis amat*. Scholiis, quae in iis quae ad res explicandas pertinent ineptissima saepius judicia ferunt, quum in rebus grammaticis optimum plerumque nobis praebeant auxilium, nostro loco nulla tribuenda est auctoritas. Pars illorum grammaticorum invenit duos versus, 32, 33, id quod ex eorum apparet explicationibus, pars versum alterum non videtur legisse, sicut omnino tenendum est, plurimas ejusmodi corruptelas antiquissimas esse. *ἐκάλεσε δ' Ἀφροδίτην ἐφ' Ἱππολύτῳ, ἣν καὶ Ἱππολυτείαν καλοῦσι.* alius: *καὶ μὴ παρόντος ἐρῶσα τοῦ Ἱππολύτου, ὥστε καὶ ἐπ' αὐτῷ ἱδρύσασθαι τὸ ἱερὸν ἐπὶ πέτρας τινός.* alius: *ἐν γὰρ τῇ ἀκροπόλει ἱδρύσατο Ἀφροδίτης ἐπὶ κακῷ* (scr. *ἔρωτι*) *Ἱππολύτου*, quibus duabus explicationibus posterioribus Hartungus ad suam sententiam confirmandam usus est. Scholia Euripidis nondum secundum tempora et auctoritatem disposita neque in ordinem redacta sunt (v. E. v. Leutsch, Philol. V. p. 709), quare saepissime temere et false ad explicandum poetam et emendandum adhibentur. Ubi verba tradita nullo modo possunt intelligi, scholiastae cujusdam paraphrasis rem dijudicare nequit. Nuper scholia Euripidis ex codicibus aucta et emendata ed. G. Dindorfius, Oxonii 1863.

μενον, Schol. Od. *λ*, 321) quodque dea ipsa *Ἱππολυτεία* appellabatur, propterea interpolator quidam hunc pessimum versum addidit. Jam unum illud verbum *ὠνόμαζεν* versum condemnat, quod Meinekius mutavit in *ὠνόμαζον*, quo nihil lucramur. Occurrit hoc verbum simili modo in Phoen. v. 27, qui versus rectissime a Valckenaerio ejectus est. „Amat quidem tragicus noster *ἐτυμολογεῖν*, atque ob eam insaniam merito quoque fuit a comicis irrisus“ (Valck. ad Phoen. v. 27), sed hoc tantum abest, ut sententiam, versus 31 et 32 esse spurios, refutet, ut eam adjuvet atque confirmet; etenim propter hanc ipsam consuetudinem sive insaniam, ut Valck. dicit, facillime corruptela explicatur, quum optime fieri posset, ut histrio quidam sive grammaticus, similium locorum recordatus malos illos versus adderet, se poetae linguam ornavisse ratus. Praeterea vero hoc etiam non erit negligendum, quod Valckenaerius dicit, in prologis Euripidem brevitati sic studere, ut alienissima saltem non immisceat. Versibus illis ejectis nihil desideramus:

καὶ πρὶν μὲν ἐλθεῖν τήνδε γῆν Τροιζηνίαν,
πέτραν παρ' αὐτὴν Παλλάδος κατόψιον
γῆς τῆσδε, ναὸν Κύπριδος ἐγκαθίσατο.
ἐπεὶ δὲ Θησεὺς κ. τ. λ.

quin etiam oratio melior fit et pulchrior.

Ibid. v. 91 sqq.

Servus Hippolytum adhortatur, ne deum quemquam superbia offendat.

Θ. οἶσθ' οὖν βροτοῖσιν ὃς καθέστηκεν νόμος;
I. οὐκ οἶδα· τοῦ δὲ καὶ μ' ἀνιστορεῖς πέρι;
Θ. μισεῖν τὸ σεμνὸν καὶ τὸ μὴ πᾶσιν φίλον.
I. ὀρθῶς γε· κ. τ. λ.

Apud Nauckium hoc loco non agitur de verbis mutandis sed explicandis. V. D. enim existimat, signum interrogationis post verbum *νόμος* delendum collocandumque esse post vocabulum *φίλον*, ad quam opinionem adductus est responso Hippolyti *οὐκ οἶδα*, quippe quod servi interrogationi minime esset accommodatum. Sic, dicit, locum esse explicandum, ut interrogationem servi nondum ad finem perductam verbis Hip-

polyti interrumpi statuamus, aliter enim fieri non posse, ut Hippolytus servo respondeat. Denique ineptum esse, servum sibi ipsum postea respondere. Pro ὅς legi vult ὡς. Rectissime V. D. monuit, verba *οὐκ οἶδα* sic cum prioribus jungi non posse, nam interroganti „scisne quaenam lex inter homines valeat" respondebo „multae sunt leges, accuratius interroges quaeso". Quod etiam sensisse videtur Hartungus, qui verba graeca nostro sermone inverso ordine reddidit: „Sag' an, wohin die Frage zielt, ich weiss es nicht". Nec tamen adducor ut Nauckio assentiar, quum etiam illa explicandi ratione probata idem remaneat incommodum, et quum praeterea interrogatio servi sic non possit interrumpi.

Denique autem, id quod non negligendum est, servus orationem suam propterea haud facile interrogando finire potest, quod Hippolytus verbo *ὀρθῶς γε* non accurate respondet, sed tantum aliquid, ut ita dicam, objicit, quod verbum autem optime explicabitur, si servum sibi ipsum respondisse statuerimus. Quare mihi quidem verba *οὐκ οἶδα* non videntur explicari posse, nisi cum iis quae sequuntur, conjungas, ut sensus sit: „nescio quidem, de quanam lege dicas". Certissimam emendandi viam indicare non possum; corruptela videtur antiquissima esse. Fortasse Euripides scripsit:

οὐκ οἶδα γοῦν ὅτου μ' ἀνιστορεῖς πέρι.

Commutatio literarum non tam est difficilis, quam primo aspectu videri possit *ΤΟΥΔΕ ΓΟΥΝΟ*, nam *Γ* et *Τ*, *Δ* et *Ν*, *Ε* et *Ο* saepissime confunduntur. Fortasse vero alius aliam eandemque meliorem emendandi viam ingrediendam esse demonstrabit *).

Ibid. v. 504.

Nutrix admonuerat Phaedram, ut amorem Hippolyto detegeret, quibus illa verbis irata haec dicit:

---

*) Postquam haec scripseram, virum doctum Batavum H. v. Herwerden (Mnemos. IV. p. 370) in eandem incidisse sententiam vidi, verba *οὐκ οἶδα* cum sequentibus esse conjungenda. Is autem proposuit scribere:

οὐκ οἶδ' ὅτου δὴ καὶ μ' ἀνιστορεῖς πέρι.

quae vero conjectura mihi non probatur, quum voculae *δὴ καὶ* mea opinione hoc loco non recte sint usurpatae.

καὶ μή σε πρὸς θεῶν, εὖ λέγεις γὰρ αἰσχρὰ δὲ —
πέρα προβῇς τῶνδ', ὡς ὑπείργασμαι μὲν εὖ
ψυχὴν ἔρωτι, τἀσχρὰ δ' ἢν λέγῃς καλῶς,
εἰς τοῦθ' ὃ φεύγω, νῦν ἀναλωθήσομαι.

De primo horum versuum restituendo Nauckius desperavit, in altero scribi vult:

ὡς ὑπείργασμαι μὲν οὐ κ. τ. λ.

Vocula *εὖ* merito virum doctissimum offendit, nam *bene* se perdomitam esse amore Phaedra dicere non potest, rectissimeque Hartungum et Fritzium refutat, quorum ille *εὖ* reddidit verbis „in Ehren", hic verbo „heimlich", quum tale quid graecis verbis non insit. Sed ipsius V. D. conjectura mea opinione falsa est, nam quomodo Phaedra dicere possit, se nondum laesam esse amore, quippe quae maximo Hippolyti amore flagraret, non video. Quod vero Nauckius vertit: „noch bin ich nicht *völlig* beherrscht durch die Liebe", idem ei quod Hartungo et Fritzio objiciendum est, nam *ὑπεργάζεσθαι* non sic in universum significat „*völlig* beherrschen". Euripides, ni fallor, scripserit:

ὡς ὑπείργασμαι μὲν οὖν

(„Mein Herz ist freilich von Liebe beherrscht"). Ita demum haec verba cum iis quae sequuntur apte conjunguntur, nam sensus esse debet: „Dedita quamquam sum amori, non tamen turpiter agam".

Troad. v. 23 sqq.

In prologo, ubi Neptunus de Troja eversa loquitur, hi versus leguntur:

ἐγὼ δὲ, νικῶμαι γὰρ Ἀργείας θεᾶς
Ἥρας τ' Ἀθάνας θ', αἳ συνεξεῖλον Φρύγας,
λείπω τὸ κλεινὸν Ἴλιον βωμούς τ' ἐμούς.

in quorum altero Nauckius scribi vult: *Ἥρας Ἀθάνας θ'*, non solum quia codd. *AB*, quibus in hac fabula multis locis major tribuenda est auctoritas, quam melioris notae codicibus, particulam *τε* omittant, sed etiam quia sensus hanc mutationem postulet. Qua vero mutatione facta dicit V. D. versum illum omnino non ferendum, sed ejiciendum esse, quippe qui nihil sit, nisi explicatio et amplificatio prioris (vid. Nauckii adnot.).

Satis esse, Junonem, potentissimam Olympi Deam Trojanisque infestissimam hoc loco nominari. De qua sententia quamquam certi quidquam nunc non audeo dicere, habeo tamen, quae moneam. Paullo enim post in fine orationis Neptuni leguntur hi versus:

ἀλλ᾽ ὦ ποτ᾽ εὐτυχοῦσα, χαῖρέ μοι, πόλις
ξεστόν τε πύργωμ᾽· εἴ σε μὴ διώλεσε
Παλλὰς Διὸς παῖς, ἦσθ᾽ ἂν ἐν βάθροις ἔτι.

ubi claris verbis dicitur Pallas Trojam delevisse, quum in iis quae antecedunt, Nauckii sententia sola Juno id fecisse dicatur. Quid multa? Aut hic etiam Euripidi sola Juno nominanda, aut Minerva ei addenda fuit. Sed utut est, sive Nauckium recte dicere putemus, sive negemus, semper restant, quae in vv. 46. 47. reprehendamus. Nam etiamsi versum vicesimum quartum genuinum esse statuimus, non bene intelligitur, cur poeta in altero loco Junonem deam illamque potentiorem omiserit. Praeterea autem sententia non solum quam maxime languida, sed etiam satis absurda est, nam nihil illis verbis dicitur nisi hoc: „o Troja, si non deleta fuisses, integra esses“, id quod per se intelligitur. Accedit quod verbo *πόλις* jam idem dictum est atque illo „*πύργωμα*“. Jam duobus illis versibus remotis optime Neptuni oratio finitur verbis:

ἀλλ᾽ ὦ ποτ᾽ εὐτυχοῦσα, χαῖρέ μοι, πόλις

Fortasse interpolatori cuidam in mentem venerunt verba quae leguntur in Or. v. 1388:

ξεστῶν περγάμων Ἀπολλωνίων,

deinde vero eo etiam ad addendam deam Minervam poterat adduci, quod haec statim in scenam prodit.

Alc. v. 713 sqq.

Altercantur hoc loco inter se Admetus, cujus uxor pro marito mortem obierat et Pheres, qui pro filio noluerat mori.

Α. *καὶ μὴν Διός γε μείζον᾽ ἂν ζῴοις χρόνον.*
Φ. *ἀρᾷ γονεῦσιν, οὐδὲν ἔκδικον παθών;*
Α. *μακροῦ βίου γὰρ ᾐσθόμην ἐρῶντά σε.*
Φ. *ἀλλ᾽ οὐ σύ νεκρόν γ᾽ ἀντὶ σοῦ τόνδ᾽ ἐκφέρεις;*
Α. *σημεῖα τῆς σῆς, ὦ κάκιστ᾽ ἀψυχίας.*
Φ. *οὔτοι πρὸς ἡμῶν γ᾽ ὤλετ᾽· οὐκ ἐρεῖς τόδε.*

Α. *φεῦ·*
εἴθ᾽ ἀνδρὸς ἔλθοις τοῦδε γ᾽ εἰς χρείαν ποτέ·
Φ. *μνήστευε πολλὰς, ὡς θάνωσι πλείονες.*

Vix monendum est contra Kirchhoffium, in primo horum versuum *ζῴοις* mutandum esse in *ζῴης* (vid. Cobet. Mnemos. V. p. 391, adnot.). Sed cur afferam hunc locum, aliud est. Nauckius enim, quem ordo sententiarum offendit, versus transposuit, quod etiamsi saepissime in veterum scriptis faciendum esse nemo infitiabitur, hoc loco improbandum est. Jam res tota in quaestione nititur solvenda, utrum particula *ἄν* in v. 713 omittenda sit necne. Rectissime eam omiserunt Schaefero auctore Cobetus in loco laudato, Matthiae, Hartungus, contra quos Nauckius dicit: „Die von Schaefer vorgeschlagene und neuerdings von Cobet (N. L. p. 238) gebilligte Tilgung der Partikel *ἄν* (*μείζονα ζῴης χρόνον*) ist durchaus unzulässig. *ζῴης ἄν* bedeutet: „du möchtest leben“, wobei man *εἰ δύναιο, εἴ σοι ἐξείη* oder etwas Aehnliches zu denken hat; der blosse Optativ würde den einfachen Wunsch ausdrücken: „mögest du länger als Zeus leben“. Von einem Wunsche dieses Inhaltes kann hier nicht die Rede sein.“ Quod vero saepius usu venit, ut simplicissimae res negligantur, id Nauckio hic accidit, nam id ipsum, quod rejicit, hoc loco unice verum esse et aptum, perspicue apparet. Quia enim Pheres in iis quae praecedunt, se, quamvis senem, vitam tamen amare dixerat, hac de causa filius exacerbatus, pietate erga patrem prorsus posthabita, optat ei, ut Jovem ipsum vitae longitudine superet, ad quam imprecationem pater respondet, quod exspectandum est: *ἀρᾷ γονεῦσιν;* accedit, quod e versu qui sequitur *μακροῦ βίου κ. τ. λ.* apparet, ut jam Matthiae et Hermannus monuerunt, patri aliquid optavisse Admetum, id quod quomodo Nauckius possit negare non intelligo. Quod vero V. D. dicit, illa optatione non esse expressam imprecationem, vereor ne erret. Videamus quid dicat epigramma Lucillii in anal. Brunck. II. p. 342, CXX: *Εἴ τις γηράσας ζῆν εὔχεται, ἄξιός ἐστι γηράσκειν πολλὰς εἰς ἐτέων δεκάδας.* (Hartungus igitur non male dicit: „Er wünscht ihm das Leben des ewigen Juden“.) Quod nobis in memoriam revocat pulchram

illam fabulam Tithoni, cui dea *κέντροις ἔρωτος πεπληγμένη* aeternam a Jove vitam precata est, aeternam simul juventutem oblita precari. Jam vero quidnam Nauckii sententia lucramur, qui contendit, versu 720 *εἴθ' ἔλθοις κ. τ. λ.*, in quo quid optetur, imprecationem expressam esse? Quidni omittamus, id quod facillimum et simplicissimum est, particulam *ἄν*, quo facto omnia optime se habent? Praeterea mea opinione ne effecit quidem V. D., quod voluit, nam verbis illis *εἴθ' ἀνδρὸς ἔλθοις κ. τ. λ.* non tam optat aliquid Admetus, quam minatur, quare non bene sequerentur illa: *ἀρᾷ γονεῦσιν;* Quomodo denique reliquorum versuum sententiae Nauckii mutatione probata sese excipiant, omitto accuratius exponere, nam *unum* tantum verum esse potest, quod hoc loco V. D. non vidisse satis demonstravisse mihi videor.

Ibid. 816 sqq.

Hercules, qui usque ad hoc temporis momentum Admetum feminam quandam peregrinam morte amisisse putaverat, nunc certior factus de vera rerum conditione et vehementer commotus Alcesten vitae maritoque reddendam esse statuit.

H. *ἀλλ ἦ πέπονθα δείν' ὑπὸ ξένων ἐμῶν;*
Θ. *οὐκ ἦλθες ἐν δέοντι δέξασθαι δόμοις,*
πένθος γὰρ ἡμῖν ἐστι καὶ κουρὰν βλέπεις
μελαμπέπλους στολμούς τε. *H.* *τίς δ' ὁ κατθανών;*
μῶν ἢ τέκνων τι φροῦδον γένος ἢ πατὴρ γέρων;

Egregium huic loco auxilium exstitit scholio quodam Vaticani *C* nuper a Cobeto edito: *μῶν ἢ τέκνων τι φροῦδον — ἆρα, φησίν, ἀφανὴς ἐγένετό τις τῶν παίδων ἢ ὁ γέρων πατὴρ ἀπέθανεν; ταῦτα δὲ τὰ τρία ἔν τισιν οὐκ ἔγκειται*, cujus auctoritate adducti Kirchhoffius et Nauckius illos versus subditicios esse judicaverunt, praesertim quum miro modo turbetur stichomythia. Quae deinde Nauckius contra Klotzium dixit, qui, quum plerumque superstitione quadam versuum ab omnibus ejectorum patronus existat, hic etiam defensoris munere fungitur, rectissime sunt disputata, nam quin nostro loco interpolatoris manus deprehendatur, is non poterit dubitare, qui versus illos animo attento legerit. Nec

tamen impetrare a me possum, ut quam Nauckius de hoc loco sententiam proferat, omni ex parte veram esse existimem. Neque enim sibi constat V. D., quum postea ad sententiam suam confirmandam coactus quodammodo sit dicere, illud scholion non sic, sed aliter esse intelligendum, quippe quod parum accurate scriptum sit; quod cur verum esse non possit duae maxime ostendunt causae. Primum enim illius scholii auctoritas versibus prorsus aliis ejectis mea opinione magnopere imminuitur, et deinde omnino tantum abest, ut Nauckii explicandi ratio necessaria sit habenda, ut ne sensui quidem conveniat. In editione Teubneriana altera quum tres illos versus scholio Cobeti notatos uncinis inclusisset V. D., nunc mutata opinione quatuor versus 816—819 ejiciendos esse censet, versum 820 genuinum esse ratus. Jam si Nauckius nobis dicit: „Dass die Vr. 818 u. 19, die gegen die Stichomythie verstossen, einem Fälscher gehören, scheint mir unzweifelhaft: durch die Tilgung derselben erleidet der Zusammenhang nicht die geringste Einbusse. Tilgt man dagegen zugleich V. 820, so entsteht eine Lücke; dieser V. ist einerseits für den Sinn nothwendig, andrerseits durch die Stichomythie insofern gefordert, als der Diener nicht 817 u. 821 hinter einander sprechen kann“, verbo monere velim, versum 817 omnino non esse ab eo memorandum, quum paullo post pergat: „Dagegen erscheinen 816 u. 817 als störend.“ Suspicor igitur, eum voluisse dicere versum 815 cum illo 821 jungi haud facile posse. Sed ad rem. Versus 820 cum scholiasta ejiciendus est, quum prorsus repugnet sententiae Herculis, quippe qui sine dubio putaret, feminam quandam peregrinam mortuam esse (v. 515 sqq.), qui deinde ipse in versu 805 dixisset: *γυνὴ θυραῖος ἡ θανοῦσα· μὴ λίαν πένθει.* Num igitur, quum servus nondum verum Herculi aperuisset, putemus hunc quod sciebat interrogavisse, vel quod se scire existimabat? *). Quid multa? Sine dubio interpolatori sunt

*) Accedit, quod metrum hujus versus suspicionem movet. Recte enim Kirchhoffius dicit, verbum illud *γένος* manu recentiore in libris quibusdam expunctum esse. Exempla, ubi librarii metri causa simili

tribuendi versus 817—20, ut versum *ἀλλ' ἦ πέπονθα κ. τ. λ.* sequatur *γυνὴ μὲν οὖν ὄλωλεν Ἀδμήτου ξένε.* Quodsi quis mihi objiciet, me ipsum scholiastam non prorsus sequi, respondebo, id quod jam Nauckius attulit, verba *τρία* et *τέτταρα* saepissime in scholiis confundi. Jam vero, ut versus 815 sensui conveniat, lenissima mutatione scribendum est:

ἀλλ' ἦ πέπονθε δεινά τις ξένων ἐμῶν;

ΠΕΠΟΝΘΕΔΕΙΝΑΤΙC
ΠΕΠΟΝΘΑΔΕΙΝΥΠΟ

Postquam duae ultimae syllabae permutatae erant, facile tertia verbi persona in primam transiit.

Orest. v. 547.

Orestes, qui cum Tyndareo colloquitur, nefandum suum facinus defendere studet.

ἐγὼ δ' ἀνόσιός εἰμι μητέρα κτανών,
ὅσιος δ' ἕτερον ὄνομα τιμωρῶν πατρί.

quorum alter versus metro repugnat, quare Kirchhoffius scribi voluit:

ὅσιος δ' ἔθ' ἕτερον ὄνομα τιμωρῶν πατρί

quae conjectura merito a Nauckio improbatur; nec tamen magis ferendum est quod ipse proposuit:

ὅσιος δέ, γαῦρον ὄνομα, τιμωρῶν πατρί,

hac una jam de causa, qui vocabulum *γαῦρον* sensui non convenit, quippe quod significet „insolens, superbus“, sicut ver-

modo mutaverunt, sexcenta possunt afferri. Hic unum tantum commemoretur. Alc. 1090 in duobus optimis libris legitur:

οὐκ ἔστιν ἥτις τῷδ' ἀνδρὶ συγκλιθήσεται

ad quem versum ipse Nauckius adnotat: „Will man nicht, wie es ehmals geschah, gegen den Werth der Ms. sich völlig indifferent verhalten, so wird man nicht umhin können, *τῷδε συγκλιθήσεται* als eine zu Gunsten des Metrum vorgenommene Verbesserung zu betrachten, die unser Urtheil nicht im mindesten bestimmen kann.“ Attamen ipsius conjectura:

οὐκ ἔστιν τίς τῷδ' ἀνδρὶ συγκλιθήσεται;

vereor ne propterea rejicienda sit, quod talis interrogatio a natura hujus loci aliena est.

bum *γαυροῦσθαι* „se jactare, superbire“ *), de quorum usu cf. Phoen. 127. Suppl. 862. 217. Eurip. fr. 53, 8 (Nauck), fr. 187, 11. 786, 1. — Eur. fr. 22, 2. El. 322. Or. 1532. Bacch. 1241. Eur. fr. 93, 2. Hippol. 502. Seyfferti denique conjecturam (l. l. p. 53):

ὅσιος δ' ἕτερος ὀνόματι τιμωρῶν πατρί

„i. e. impius sum ut parricida matris, pius autem alius nomine (mutato nomine) ut patris vindex“ confiteor me non satis intelligere, quamvis facillima sit. Praeterquam enim quod „alius nomine“ non idem est quod „mutato nomine“, ne sic quidem graeca verba intelligenda sunt. Duae res hoc loco sibi opponuntur, impietas et pietas, quare fortasse recte dicemus articulo addito:

ὅσιος δὲ θἄτερον ὄνομα, τιμωρῶν πατρί.

„uno nomine impius, altero vero (non alio) pius“. In versu qui praecedit, emendationum quae factae sunt, Hermanni *ἐγῷδ'* optima est.

Rhes. v. 118.

Aeneas Hectorem, qui illico hostes aggredi vult, admonet, ne inconsiderate agat.

πῶς γὰρ περάσει σκόλοπας ἐν τροπῇ στρατός;
πῶς δ' αὖ γεφύρας διαβαλοῦσ' ἱππηλάται,
ἢν ἄρα μὴ θραύσαντες ἀντύγων χνόας;

Agitur de verbis *ἢν ἄρα μὴ*, quae ab aliis aliter explicata sunt atque tractata. Sed ne morer lectorem conjecturis hominum doctorum afferendis, quae omnes recte a Nauckio improbantur, videamus quo ipse remedio loco succurrat. Dubium enim relinquit V. D., utrum scribatur „*ἐν νυκτί*“ an „*ἢ ναρά*“, quorum vero neutrum probandum erit. Prior enim emendatio a codicum vestigiis nimium recedere videtur, id quod ipse V. D. concedit dicens: „Wie denn Niemand über Undeutlichkeit sich beklagen würde, wenn es hiesse“ etc. Deinde vero tale additamentum supervacaneum est, quum nox

*) C. Schenkl quoque l. l. p. 844 Nauckii conjecturam improbat et proponit scribere:

ὅσιος δ' ἐς ἕτερον ὄνομα τιμωρῶν πατρί.

jam in iis quae antecedunt, commemorata sit (νυκτὸς ἐν καταστάσει). Vox autem ναρός quid sibi velit non bene intelligitur: „aggeres et humida (humidas regiones?) transire"; praeterea vocabulum rarissimum est. Quodsi quis dixerit, id ipsum in hac fabula tractanda minus esse urgendum, non valde repugnabo, hac ipsa enim de causa hunc locum non illis adnumerandum esse putavi, in quibus Nauckius verba ab Euripidis usu aliena usurpavit. Jam quid nostro loco scribendum sit, haud facile erit dijudicatu; fortasse propius ad verum accedemus scribendo:

ἐνταῦθα μὴ θραύσαντες ἀντύγων χνόας.

jam in iis quae antecedunt, commemorata sit (*νυκτὸς ἐν καταστάσει*). Vox autem *ναρός* quid sibi velit non bene intelligitur: „aggeres et humida (humidas regiones?) transire"; praeterea vocabulum rarissimum est. Quodsi quis dixerit, id ipsum in hac fabula tractanda minus esse urgendum, non valde repugnabo, hac ipsa enim de causa hunc locum non illis adnumerandum esse putavi, in quibus Nauckius verba ab Euripidis usu aliena usurpavit. Jam quid nostro loco scribendum sit, haud facile erit dijudicatu; fortasse propius ad verum accedemus scribendo:

ἐνταῦθα μὴ θραύσαντες ἀντύγων χνόας.

